IN

ARTEM MEDICINAlem Galeni, Tabulæ & Commentarij:

PER THEODORVM ZVINGGERVM BASILIENSEM, PHILOSOphum & Medicum.

Ex quibus Medici, longæ artis compendium: Philoſophi, cognitionem naturæ in corpore humano, tanquam in microcoſmo: Logici denique, artificioſam ordinis Definitiui dialyſin, magna cum utilitate & facilitate hauriri poterunt.

ACCESSIT Rerum & uerborum in his præcipuè memorabilium INDEX.



Cum Cæſ. Maieſtatis gratia & priuilegio ad annos decem.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

1561

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, IOANNI RODOLFO STOER, ABBATI MORBACENSI ET LVTRENSI, MVSARVM ALVMNO ET MECOENATI, THEODORVS ZVINGGER BASILIENSIS, PHILOSOPHVS ET MEDICVS, GRATI OBSEQVII ET DEBITAE BENEVOLENTIAE ERGO, HOS COMMENTARIOS ATQVE TABVLAS IN ARTEM MEDICAM GALENI

D. D. D.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI, ET ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINO, D. IOANNI RODOLPHO, *Abbati Morbacenſi, Lutrenſi, &c. Domino ſuo Clementiſsimo, S.*

CVM ſæpe mecum ipſe cogito, IOANNES RODOLFE, Princeps illuſtriſsime, quæ cauſa ſit, cur in tanta optimorum authorum copia, & ingeniorum noſtri ſeculi felicitate, nemo reperiatur, qui, cum antiquis illis non modò certare, ſed ne cõferri quidẽ poſsit: alios quidem ſidera cauſari uideo, à quorum influxu non corpora tantùm, ſed mores quoq; animi poſſe immutari, experientia quotidiana cõprehẽdimus: alios uerò naturalem & nobis connatã labem, ſeminis uitium aſſerere: tertios quoſdã eſſe, qui in deprauatã uictus rationem, culpam omnẽ transferant. Ego uerò ut nullã ex iſtis cauſis reijcio, ita uiciſsim non ſemper ab harum uel aliquibus, uel omnibus ſimul, ingeniorum defectum oboriri, mihi perſuaſiſsimum habeo. Nam cùm idem ſit cœlum quo tegimur & uegetamur, ſint eadem ſidera quæ mutatis uicibus oriuntur & occidunt: influxus certè in uniuerſum ijdem quoque erunt, quamuis in ſpecie miris modis uariare poſsint. Eamque ob cauſam diuerſis temporibus, non modò in adoleſcentia & conſiſtentia, ſed etiam in ipſo mundi ſenio, ut illorum uerbis utar, nunc Hebræi & Aegyptij, nunc Græci, nunc Latini, tandem quoque Arabes, in literis excelluerũt. In qua ipſa tamen ingeniorum fœcunditate, non omnes ſimul, ſed rari aliqui præ cæteris, ſua quiſque ætate, magni habiti & exiſtimati fuerunt. Quòd uerò nec ſeminis quoque uitiati ſemper ea ſit culpa, præter exempla quæ adduci poſſent, oſtendũt uulgatiſsima illa prouerbia, Fortes creantur fortibus & bonis: & cõtrarium huius, Heroum filij noxæ. Præclarè enim princeps Peripateticorũ Ariſtoteles in Rhetoricis, φορὰ γάρ ἐστι καὶ ἐν τοῖς γένεσιν ἀνδρῶν, ὥσπερ ἐν τοῖς κατὰ τὰς χώρας γινομένοις ἐνίοτε, καὶ ἂν ᾖ ἀγαθὸν τὸ γένος, ἐγγίνονται διά τινος χρόνου ἄνδρες περιττοί, κἄπειτα πάλιν ἀναδίδωσιν. ἐξίσταται δὲ τὰ μὲν εὐφυῆ γένη, εἰς μανικώτερα ἤθη· οἷον οἱ ἀπ᾽ Ἀλκιβιάδου, καὶ οἱ ἀπὸ Διονυσίου τοῦ προτέρου· τὰ δὲ στάσιμα, εἰς ἀβελτερίαν καὶ νωθρότητα· οἷον οἱ ἀπὸ Κίμωνος, καὶ Περικλέους, καὶ Σωκράτους. Iam uerò uictus quoq; ratio etſi plurimũ poteſt in utranque partem, pro conſeruandis ſimul & corrumpendis ingenijs: tamen uires tantas non habet, ut in uniuerſum unius, nedum multarum ætatum ingenia immutare poſsit. Neq; enim omnes eodem promiſcuè uictu utuntur, nec eundem aerem inſpirant, nec eaſdem habitant regiones: quæ tamen ſingula plurimum ad mentis uigorem momenti afferũt. Quare præter cauſas ab alijs allatas, neceſſe eſt aliã quandam principem eſſe: cuius cognitio tam nobis erit utilis, quàm eiuſdem ignorantia ingenijs noſtris hactenus obfuit. Illam ergo inueſtigare conabimur:

nabimur: hinc sumpto exordio, quòd quicquid scimus, aut per εὑρέσιν, aut per μάθησιν didicimus. Inuentio certè artium & disciplinarũ ut difficilis & laboriosa est, ita tempore prior: in qua ipsa non ingenij acumine, sed occasione tantùm & tempore ab antiquis superamur. Nisi enim à ueteribus artes præclaræ per otiũ fuissent inuentæ, fortassis à nostræ quoque ætatis hominibus constitui potuissent. Quandoquidem ea quę ab antiquis tentata non fuerunt, singulari industria, & felici successu, inchoata & perfecta nostro seculo uidimus: pyxidem nauticam, artem typographicam, & quæ Iouis fulmen æmulātur tormenta bellica. Vtinã uerò quantum natura nobis ingenij in εὑρέσεως concesſit, tantundem quoque in διδασκαλίας καὶ μαθήσεως, acuminis & artis largita fuisset. Doctrina enim siue disciplina inuentionem sequitur: & quia naturam dirigit, fidelior est, certior, atque securior. Nam quod longo rerum usu & experientia didicit, alteri cõmunicare studet, & φιλοπονίαν suam εὑρετικὴν primùm, deinde etiam διδασκαλικὴν, cum ἀπονίᾳ discipuli μαθητικῇ (ut ita loquar) iuuandæ posteritatis causa, cõmutare non uereatur. Nihil etenim aliud doctrinæ uocabulũ significat, quàm translationem illius habitus, qui in præceptore est, in discipulum, non secus atque si lumen de lumine tuo accenderes. Quod ergo in quouis alio mutationis genere obseruari consueuit, hîc quoque locum habet: nimirum ut naturam tum agentis, tum patientis consideremus: hoc est, quomodo tum ille qui discit, tum ille qui docet, affectus esse debeat. Galenus totum hoc negotium in libro de Constitutione artis medicæ pulcherrimè tractat: & quibus pręsidijs eum niti oporteat, qui in quacunque arte præ cæteris eminere cupit, breuiter atque luculenter edisserit. Enumerantur autem septem numero: Ingeniũ, Methodus, Labor, Educatio, & Vsus, Præceptor doctus, Veri etiam studium. Horum alia quidem docenti, alia discenti usui esse possũnt: at Studiũ ueritatis, & Methodus, utrisque summoperè sunt nececessaria: atque ita necessaria, ut sine his duobus reliqua præsidia nullius ferè sint momenti, cùm uicisſim hęc duo etiam sola per se aliquid laude dignum præstare queant. Nam quòd solo ueritatis studio Philosophi à Sophistis differãt, omnibus est in confesso: quòd uerò methodus siue ordo anima rerum sit, quatenus sunt primùm, deinde etiã quatenus docentur, ratio ipsa dictat, & Plato eius interpres multis in locis testatur. Ipsa quidem φιλαλήθεια naturæ & ingenij bonitati potisſimùm tribuenda est: quamuis etiam hac in re multum posſit educatio & imitatio. Methodus uerò & ordo Naturam habet authorem, rectorem atque ducem ipsam Artem. Quapropter à natura constituenda est, ab arte dirigenda & perficienda. Verum enimuerò ut præclara ualde & illustris est Methodorum ratio, atque in omni disciplinarũ genere necessaria, cùm dempta Methodo sol è mundo literario (ut ita loquar) sublatus esse uideatur: paucis tamen semper fuit cognita, & natu-

ræ potius incerto ductu ab ijs qui scripserunt reperta, quàm præceptorũ fida cognitione inuenta aut tradita. Ex tota profectò antiquitate, excepto Hippocrate, Platone, Aristotele, Theophrasto atque Galeno, neminem habemus, qui methodicè aliquid literarũ memoriæ cõmendarit. Nam quod nostro seculo fieri solet, ut multi methodos & ordines profiteantur, pauci reipsa præstent, sintq; (ut in prouerbio est) πολλοὶ βουκύται, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες: illud idem priscis quoq; tẽporibus accidisse uerisimile est. Sic enim semper in rebus præstantissimis fucata Sophistice, animos hominũ occæcare, & specie recti decipere cõsueuit. Princeps certè methodicæ doctrinæ fuit Aristoteles: nam primus ordinũ & methodorũ præcepta ex naturalis ingenij fertili quidem agro, sed tamen inculto, deduxit, repurgauit, excoluit: & Stoicorũ argutijs neglectis, naturalem disserẽdi artem (quam Logicã uocãt) artificiosa methodo cõstituere, magno cum conatu, nec minore cum successu, tentauit. Et methodos quidẽ in Organo logico delineatas & expressas habemus, quãuis obscurè, uerè tamen: Ordines uerò duobus libris ex professo tractauerat (quod in catalogo librorũ Aristotelis Laertius docet) quos aut tẽporum iniuria, aut hominũ negligentia amisimus. Videtur enim Logica facultas (ut paruis magna conferamus) idem passa esse, quod uulgatissimæ quædã plantæ Dioscoridis tẽpore. Nam plurimas Anazarbæus ille ῥιζοτόμος in sua Stirpiũ historia nullis notis delineatas recẽset tãtùm, & tanquam ab omnibus notas præterit: quas tamen nos hodie uel ignoramus, uel certè de illarum nominibus digladiamur. Sic quoq; factũ opinor, ut præclaram hanc & utilem artem, breuibus ab Aristotele uerisque præceptis cõprehensam, negligentes & socordes discipuli usu & exercitatione non confirmarẽt: reique facilitate freti, sensim à pulcherrimæ facultatis possessione exciderent: ita quidem, ut ad Galeni usque tempora nihil præter inane methodi nomen plerique fuerint professi. Hanc pestem ad nostra quoque tempora peruenisse, magno nostro malo experimur. Et mirandũ certè est, quã nam ratione uel præcepta antiquorum ab inertibus hominibus contemni potuerint: uel etsi nulla omnino præcepta extitissent, quomodo tam diu naturalis hæc disserendi uis inculta atque sopita latuerit: præsertim cùm interea non defuerint apud Græcos, Latinos & Arabes, qui utranque philosophiam acri iudicio summoq; studio tractarent & prosequerentur. Verùm nec μυωπιάσει laborantes, clarissimos solis radios ferre possunt: neque illi quorũ animos ἡ καθ' ἕξιν ἄγνοια καὶ δοξοσοφία, siue ut magis propriè loquar, ipsa sophistice corruperat, lumen hoc rationis ex præceptis grauissimorum philosophorum elicere, aut (quod operosius est) uiuis exemplis demonstrare potuerunt. Et hæc sanè prima & præcipua est causa, cur in tanta optimorum authorum turba, in tanta ingeniorum felicitate & ubertate, in tanta denique omnium eorum quæ nos ad laudem accen-

dere & promouere poſſunt adiumentorum copia, paucos, ne dicam nullos, uideamus, qui cum antiquis comparari queant. Altera uerò eſt, eaque non contemnenda, (quam tamen Galenus temporum felicitate & hominum ſuorum beneficio ignorauit) quòd quantum pueri olim in mathematis diſcendis otij & operæ impendebant, tantum nobis in linguis percipiendis ſtudij collocandum ſit: & quemadmodum Plato Academiæ ſuæ inſcripſit, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, ita nos Scholis noſtris, οὐδεὶς ἀγράμματος. Optimam certè ætatis noſtræ partem terimus, non ut res ipſas, ſed ut illarum ſimulacra, uerba intelligamus: & quas pueri olim diſcebant artes, nos uixdum in adoleſcentia attingere poſſumus. Magnum eſt ſanè hoc impedimentum, & in tanta uitæ breuitate etiam maximum. Felices profectò Græci, qui ab Hebræis, Aegyptijs atque Chaldæis diſciplinas haurire potuerunt: prudentes uerò, qui Græcè eaſdem tradere & explicare ſtuduerunt, ne gemino labore, linguæ ſcilicet peregrinæ moleſtia, & ſcientiarum difficultate, ſuos homines obruere & à pulcherrimarum rerum ſtudijs abſterrere uiderentur. Sic ergo factum fuit, ut cum materno lacte linguæ illius cognitionem imbiberent, quæ ad diſciplinas perdiſcendas neceſſaria erat. Viderunt hoc quoque Latini, & Græcos non infeliciter ſunt imitati. Idipſum noſtra etiam ætate Italorum plurimi non ſine laude præſtare conantur, ut tandem diſciplinas omnes uernacula ſua lingua deſcriptas exhibeant, & ſuis ſaltem hominibus conſulant: quandoquidem linguæ propagatio (quod nonnulli ſomniare uidentur) non niſi cum imperio fieri poteſt. Vtinam uerò nos quoque tam φιλοπατρίδες, aut etiam φίλαυτοι eſſemus, ut noſtra nobis magis placerent quàm peregrina, & Spartam noſtram, non alienam, pietate potius quàm ambitioſo πολυγλωττίας titulo moti, excolere ſtuderemus. Græcos & Latinos imitemur (quandoquidem omnia illorum nobis uſque adeò placent) & linguarum cognitionem multijugæ rerum ſcientiæ poſtponamus. Neque uerò Græcè uel Latinè diſcimus, ut Græcè Latine ue loquamur aut ſcribamus (iamdudum enim cum Imperio linguæ iſtæ conciderunt) ſed ut artes atque diſciplinas his linguis traditas intelligamus. Pulchrum certè eſt Græcè & Latinè noſſe: at pulchrum quoque eſſet, uiginti & una linguis (quod de Mithridate ferunt) aut etiam pluribus loqui poſſe: pulcherrimum uerò, ad imitationem primi illius & aurei ſeculi, etiam unica lingua poſſe omnes diſciplinas percipere, tractare atque docere. Et hæc quidem eò dico, non quòd cognitionem linguarum reprehendam: (illam enim in tanta omnium rerum perturbatione donum diuini ſpiritus eſſe, Sacræ teſtantur literæ:) ſed ut oſtendam, ſi ullo pacto fieri poſſet, ut confuſio iſta Babylonica è medio tolleretur, aut (quod ſecundum eſt) in ſua quiſque lingua potius quàm in peregrina excellere ſtuderet, & patrio more atq; idiomate, non

te, non externo philosopharetur, maximam ſtudijs noſtris acceſsionem futuram. ὁ γὰρ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή. Sunt ergo hæ duæ cauſæ, quæ ingeniorum noſtrorum profectui obſtant: linguarũ ſcilicet cognitio neceſſaria, & methodi ſiue ordinis ignorantia. Et de priore quidẽ illa, quæ noſtris quodãmodo incunabulis inſidiari uidetur, aliàs: de poſteriore uerò, cuius uſus ſimul & abuſus latiſsimè patet, in præſentia agere inſtituimus. Nam quum linguarum perturbatio à ſummo opifice diuinitùs immiſſa ſit, non niſi diuina ope profligari & aboleri poterit. Methodus uerò, quum rationis humanæ ueſtigia ſequatur, ut à præclaris ingenijs obſeruata, inuenta & conſtituta fuit, ita quoque ab ijſdem in integrum reſtituetur, quando uerus Logicæ uſus uiuis exemplis optimorum authorum illuſtrabitur. Quod quidem olim optare tantùm, nunc etiam coràm intueri, & ſeculi noſtri felicitatem admirari poſſumus. Nam cùm nulla ordinum pręcepta à ueteribus nobis relicta ſint, præter ea quæ Galenus in procemio Artis medicæ propoſuit: Methodos uerò Ariſtoteles in poſterioribus Analyticis doctè quidẽ, ita tamen obſcurè tradiderit, ut ne ab oculatiſsimis quidem interpretibus intelligi potuerint: noſtra hac ætate primus NICOLAVS LEONICENVS, philoſophus & medicus conſummatiſsimus, ordinum doctrinam, à ſophiſtis miſerè contaminatam, ad ſuperos reduxit. Quo pręceptore uſus IOANNES BAPTISTA MONTANVS VERONENSIS, præcepta ordinum (quæ à magiſtro fideliter hauſerat) ſingulari induſtria explicauit, eademque ueris imaginibus illuſtrauit: Methodorũ uerò doctrinã & uſum, cùm publicè tum priuatim docendo, per aliquot annos in celeberrimo Patauino gymnaſio, magna ſua cũ laude, & ſtudioſorũ utilitate demõſtrauit. Illius in locũ ſuffectus BASSIANVS LANDVS PLACENTINVS, uir elegantis & rarę eruditionis, magna omniũ cũ admiratione & ęmulatiõe ſatis oſtẽdit, uerũ illud eſſe quod prouerbio circũfertur, πολλοὺς διδασκάλων κρείττονας μαθητάς. Nam & philoſophiã cũ medicina ita cõiunxit, ut ad ideã perfecti Medici, quã nobis Galenus propoſuit, ſolus ferè, aut certè inter paucos primus penetrauerit: & in docẽdo ea Methodo utitur, ut nõ tam illius eloquentiã laudare, quàm facilitatẽ cum pari felicitate cõiunctã auditores ſuſpicere & pręedicare ſoleãt. Illius certè eſt, quicquid in me eſt, quod uel prodeſſe alijs, uel imitationi eſſe poſsit. Vtinam uerò quàm per ſexenniũ integrum attentus pręclari illius uiri auditor fui, tam dignus tanto pręceptore diſcipulus uerè iudicari poſſem. Nũc, quod dicit, aulœdi ſunt, qui citharœdi eſſe nequeũt. Sed redeo ad ordines & methodos, quorũ doctrina ab Ariſtotele & Galeno exemplis potius quàm pręceptis propoſita, à noſtri tẽporis uiris eruditis in lucẽ reuocata eſt, & uix tamẽ credita. Nam ſi qua in arte ſophiſtice aliquid poteſt, poteſt maximè in arte diſſerẽdi. Hanc igit cùm ueluti arcẽ occupaſſet, mirum deinde nõ fuit, tot

iam ſeculis tam miſerè à barbaris ſophiſtis oppreſſam & penè extinctã fuiſſe philoſophiam. Vt enim, ſi funalia crebra in ſplendida quadam domo accendantur, non tantùm eam illuſtrant, ſed etiam fumo inficiunt: ita quoque contigit, ut tota philoſphia ex corruptæ Logicæ contagio, à ſuo ferè ſtatu deiecta, ſophiſtarum imperium longo tempore perferre coacta fuerit. Logica enim facultas nihil aliud habet, quàm quòd rationem noſtram in contemplando pariter & in agendo dirigit. Proinde inſtrumenta nobis ſuppeditat, quibus ueritatem perſequi, atque etiam conſequi in omnibus liberalibus diſciplinis poſsimus. Quod ergo in μεταλλουργίᾳ fieri ſolet, ut multum quidem laboris atque ſudoris illi perferant qui metalla effodiunt, qui exportant, qui coaceruant, qui in fornaces congerunt, & ignis opera colliquefaciunt: plurimum uerò dignitatis & honoris, qui ex informi maſſa & rudi materia aurum primùm, deinde argentum educere atque ſeparare poſſunt: illud idem hîc quoque accidit. Etſi enim philoſophia omnis fertilis & fructuoſa eſt, tamen ſi diſſerendi arte deſtituatur, quæ ordinem doceat, quæ cauſas ab effectibus diſtinguat, conſequentia ex antecedentibus deducat, principijs ea quæ à principijs oriuntur annectat: aut ſcientiam nullam pariet, aut certè confuſam tantùm. Verum enimuerò ordinum atque methodorum exquiſita tractatio à nobis peculiari Commentario inchoata, propediem, cùm Deus uolet, abſoluetur: hîc tantùm, pro Tabularum & Commentariorum noſtrorum in Artem medicinalem Galeni faciliore intelligentia, obiter καὶ ὡς ἐν τύπῳ præcipua capita operæprecium erit recenſere. Itaq;, quod iam ab initio monuimus, cognitio διδασκαλικὴ dignitate, perfectione & facilitate uincit eam, quæ per inuẽtionem haberi poteſt. Etſi enim inuentio tempore ſimul & natura prior eſt, nec niſi in magna cadit ingenia: ipſa tamen διδασκαλία abſolutior, certior, conſtantiorque uidetur eſſe, & proinde plus laudis meretur. Hinc fit, ut quotquot ſcribunt, ſe doctrinæ cauſa ſcribere dictitent, atq; adeò Doctoris nomẽ nõ ſine ambitione multi profiteanť. Quo ipſo ſatis oſtendunt, ſuo quidem iudicio (neque illo tamen omnino falſo) inuentionem, ſi cum diſpoſitione & ordine didaſcalico conferatur, miniſtram quandam & famulam eſſe: doctrinam uerò οἷον ἀρχιτεκτονικήν τινα, ad quam totius inuentionis conatus referri debeat. In διδασκαλίᾳ igitur multo plus operæ atque ſtudij collocandum eſt, quàm in εὑρέσει, nobis præſertim, qui omnes artes iam inuentas, & tanquam hæreditario iure à maioribus acceptas poſsidemus. Porrò quibus nitendum eſſet præſidijs, ex Galeno audiuimus. Septem erant numero: primas obtinebat Methodus. Quo quidem uocabulo generali non modò Logicam ipſam, uerumetiam Rhetoricam facultatem Galenus complecti uoluit, cùm aliàs, tum eo præſertim in loco. Nihil enim aliud Methodus ſignificat, quàm uiam ſiue rationẽ compẽdioſam docendi diſcendi'ue

di'ue

di'ue quaslibet artes. Iam uerò omnis doctrina habet primùm materiam subiectam, quam docet: deinde ordinem ueluti animã, per quem docet, sine quo doctrina nulla esse potest: sicuti neque mundus absque ordine mundus haberetur. Materia seu res ipsa cuiusque artis & facultatis propria est: forma uerò siue modus docendi partim à Logica, partim à Rhetorica mutuari debet. Nam si naturam rei tractandæ consideremus, quid priore, quid posteriore loco collocandum sit, Logica docebit: sin uerò personas tam discentis quàm docentis, Rhetorica nos instruet, μακρῷ ne λόγῳ, an ἐρωτήσεσι, exemplis & inductionibus, an syllogismis, aut quibusuis alijs ratiocinandi generibus uti debeamus. Atq; hæc omnia ordinis & methodi uocabulum comprehendit. Attamen quia Logici ea curant, quæ essentiam rei concernunt: Rhetores uerò, τὰ πιθανὰ tantùm: idcirco quoque ordo & methodus ad rem potius quàm ad personarum inconstantem qualitatem referri consueuit. Sed omissis Rhetoribus, Logici ordinis naturam explicemus: quandoquidem nec una est, nec apud omnes eadem. Omnes tamen ordinum differentię in eo conueniunt, quòd à priori ad posterius proficiscuntur. Ordo enim nihil aliud esse definitur, quàm habitudo prioris ad posterius. Itaque Aristoteles etiam in Categorijs, τοῦ προτέρου τῇ τάξει meminit: quod fortaßis non ineptè ad hos ordines didascalicos referri posset. Porrò ut duo in nobis sunt κριτήρια, sensus & intellectus: ita quoque id, quod prius nostræ cognitioni occurrit, duplex est. Alterum enim prius est sensui, singulare scilicet: alterum intellectui, uniuersale. Quando igitur dicimus ordinem esse progressum à priori ad posterius, per hanc generalem & confusam definitionem comprehendimus sub ordinis ambitu progressum istum reciprocum, nempe uel ab uniuersalibus ad particularia (in διδασκαλίᾳ: & ὁδὸς διδασκαλικὴ nuncupari potest) uel à particularibus ad uniuersalia (in εὑρέσει: & ὁδὸς εὑρετικὴ dicitur.) Iam uerò quia in doctrina non sunt unius generis omnia uniuersalia, non satis est confusam hanc habere cognitionẽ progressus, καὶ ὁδὸν καθόλου μίαν (ut Galeni uerbis utar) quòd scilicet ab uniuersalibus semper sit auspicandum, & ad particularia progrediendum (quam solam διδακτικὴν μέθοδον imperiti quidam nostri temporis sophistæ iactant, & penes se solos tanquam aureum ramum habitare arbitrantur) sed distinctior ratio inquirenda est, ut quę magis quæ'ue minus uniuersalia sint perspiciamus. Hoc enim qui consequetur, ille de ordine didascalico iure poterit gloriari: nam quid idem, quid diuersum sit, optimè uidebit, & totius artis dispositionem oculis subiectam habebit: in quorum cognitione totam Logicę uim consistere, acutè admodum in Topicis Aristoteles asseruit. Quòd si ergo uniuersalium accuratior theoria instituatur, ex quibus artis præcepta constant, atque constituuntur: duplex illorum natura se offeret. Alia enim sunt multiplicia, & ut ita dicam ex multis composita par-

ta partibus: quarum deinde partium quælibet in noua membra diuidi queat. Verbi gratia: Medicinæ totius partes ſunt, φυσιολογικὴ, αἰτιολογικὴ, σημειωτικὴ, ὑγιεινὴ, θεραπευτικὴ: unaquæuis iſtarum in multas alias & differentes particulas diduci commodè poterit. Partes iſtæ multiplices totam artem abſoluunt: & quia aliæ alijs ſunt priores, diſpoſitionem requirunt, quæ κατ᾽ ἐξοχὴν Ordo dicitur. Cuius quidem ea eſt natura, ut à prioribus, hoc eſt, à principijs, ad poſteriora, id eſt, ad ea quę à principijs orta ſunt, progrediatur. Quum autem principia diuerſimodè poſsint conſiderari, ut nos in procemio Artis medicinalis breuiter annotauimus, triplex quoque ordinum natura & numerus orietur: Definitiuus ſcilicet, Compoſitiuus, & Reſolutiuus. Hac igitur ratione Ordo propriè dictus erit diſpoſitio generalis, inter partes artis eiuſdem uniuerſales multiplices. Alia uerò ſunt uniuerſalia ſimplicia, hoc eſt, quarum partes in alia uniuerſalia uel nequeunt reſolui, uel certè non debent (quia unaquælibet ars certos ſuos habet terminos & limites, quibus circumſcribitur & continetur) præterquam in cauſas ſuas ſimplices ex quibus componuntur: ut ſi mixtum corpus in partes ſimilares reſolueres, non in alia quædam. In horum quoque conſideratione prius & poſterius datur, notum & ignotum, cauſa & effectus: quare etiam diſpoſitio, quæ propriè Methodus appellatur. Vtamur enim, ſi placet, diſtinctis uocabulis: quandoquidem natura etiam ipſa rerum diſtincta eſt. Vt igitur Ordo, diſpoſitio eſt partium totius artis: ita Methodus, unius alicuius partis ſimplicis, non multiplicis, declaratio. Atque ut totum ex partibus etiam minimis conſtat: ita in omni ordine neceſſarium eſt, partes, quæ declarandæ ſunt, methodo tractari. Simile quid habemus apud Geographos: qui ſi quando uniuerſalem deſcriptionem totius habitabilis moliuntur, primùm iuxta climatum rationem uniuerſum globum diſtinguunt in Europam, Aſiam, Africam, & eam quæ nunc demum inuenta eſt Atlantidem, ſola fama à diuino Platone cognitam. Deinde uerò Europam diducunt in Græciam, Italiam, Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, & cæteras gentes Septentrioni ſubiectas. Mox ipſam Græciam in Macedoniam, Peloponneſum, Achaiam, Atticam diuidunt. Addunt tandem urbes, oppida, arces, pagos, montes, flumina, lacus, maria, & quæuis alia ad inſtitutum opus opportuna: in quibus tanquã particularibus acquieſcunt, ne ſi in quarumuis urbium aut oppidorum exacta pictura occuparentur, opus in infinitum abiret. Sic quoque in artibus quæ tractantur, quandoquidem ſingulæ certos ſuos & cõſtitutos habent fines, quos egredi non licet, quantum rei natura feret, partes minutiſsimas Methodus explicabit, & omnem quæſtionem quæ de illis haberi poſſet, enucleabit. Nam ſi tota rei ſubſtantia inquiratur, Definitio ſiue Definitiua Methodus amplectenda erit: ſin pars tantùm ſub-

ſtantiæ, Reſolutio quidem genus, Diuiſio uerò differentiam inueſtigabit. At uerò accidens ſubſtantiæ inhærens, Syllogiſmus oſtendet. Pro diuerſitate igitur particularis quæſtionis de ſimplici aliquo problemate (ſic enim uoco illud, cuius natura quocunque ratiocinationis modo diſcutienda proponitur) quatuor in uniuerſum Methodorum ſpecies exurgunt, Definitio uidelicet, Diuiſio, Reſolutio, & Syllogiſmus: nec plures, nec pauciores: niſi quis διαλύσεως imperitus, commixtionem Methodorum uariarum (ſæpe enim accidit, præſertim in definitione inuenienda aut explicanda, ut omni genere inſtrumentorum opus habeamus: non ſecus, atque ſi in peregrinatione aliqua longa & difficili, nunc curru, nunc equo, nunc naui, nunc pede, iter facere cogeremur) & complicationem uariam, pro nouo Methodi genere ponere uelit. Ex hoc breui tractatu & ueluti delineatione totius Logicæ, manifeſtum eſſe poteſt, diſſerendi artem nihil aliud docere, quàm Ordinem: Ordinem autem generaliter ſumi uel pro ὁδῷ ſiue artificioſo progreſſu, ab uniuerſalibus ad particularia, & uiciſsim à particularibus ad uniuerſalia: uel pro diſpoſitione prioris & poſterioris. quæ quidem diſpoſitio ſi in totius artis partibus præcipuis & multiplicibus ſpectetur, Ordo proprijſsimè appellatur: ſin uerò in particula aliqua ſimplici, Methódus. Neque uerò me latet, multis noſtram hanc, ſeu naturæ potius & rationis diſtinctionem, non modò non probari, ſed etiam ſophiſticorum argumentorum farragine impeti poſſe. Verùm ijs tantùm ſcribimus, qui ueritatem ſolam propoſitam habent: & ea quæ ſcribimus, exemplis non Chœrileis, ſed Homericis (ut Ariſtoteles iubet) hoc eſt, præſtantiſsimorum authorum ſcriptis declarare parati ſumus. Nam quod iampridem monuimus, præcepta uel nulla, uel certè pauca & ualde obſcura de ordine logico habemus: ſcripta uerò illuſtria nobis relicta ſunt, ex quibus latentem hunc ramum uerè aureum educere poſſumus. Itaque ſpretis ſophiſtarum calumnijs, qui uel contentionis ſtudio, uel ueritatis odio, clariſsimam ſolis lucem fumidis ſuis lucernis offuſcare nituntur, poſt inuentas fruges tandem aliquando glandibus ueſci deſinamus: & bonos aurifabros imitati, ad Lydium lapidem aurum ſubæratum à puro putoque diſcernamus: hoc eſt, ex Platonis, Ariſtotelis atque Galeni ſcriptis hanc ipſam ordinum & methodorum doctrinam, per reſolutionem, ſiue (ut rectiùs loquar) diſſolutionem, eruamus, confirmemus, & illuſtremus. Nam quod prius de Cognitione diximus, illud idem nunc quoque de cognitionis effectu pronunciare poſſumus: hoc eſt, de opera noſtra, quam collocamus uel in γνώσει, uel in ἀναλύσει. Γνῶσιν intelligo, quando nos noſtro marte aliquid uel prima inuentione, uel aliorum imitatione ſcribimus aut docemus: ἀνάλυσιν uerò, ſiue διάλυσιν, quando ea quæ

ab alijs

ab alijs ſcripta ſunt declaramus. Γένεσις profectò, quum rerum & ordinis cognitionem præſupponat, difficilior eſt: Ἀνάλυσις contrà, quia ordines ſolùm requirit, facilior eſſet, niſi illud accederet, quòd eam inter ſe ſocietatem habent res & ordo, quam habet anima cum corpore, ita quidem ut neutrum abſque altero doceri aut intelligi rectè queat. Quod ipſum quoque occaſionem uulgatæ huic propoſitioni dediſſe uidetur: Difficilius eſſe in aliorum ſcriptis uerſari, quàm de nouo aliquid commentari. Illud apud nos conſtet, in ἀναλύσει ſimul & in γενέσει exercitatos eſſe oportere, & proinde ordinis doctrinam habere familiarem, ſi modò quales eſſe optamus, tales euadere ſtudemus. Porrò quum ordinum tractatio uniuerſa in prioris & poſterioris intelligentia conſiſtat, prius autem & poſterius naturali nexu inter ſe iuncta cohæreant, non ineptus fortaſsis erit, qui utriuſque operæ ueluti baſes & fundamenta per Tabulas proponere uolet. Quemadmodum enim natura uegetatrix primùm truncum arboris producit, deinde addit ramos, mox ramum quemlibet ſuis folijs, floribus & fructu exornat: ita quoque diſpoſitio per Tabulas naturæ æmula euadit, quando id quod generaliſsimum eſt tanquam baſin ſupponit, & ex illo deinde reliqua omnia deducit, eodem ſemper & continuato progreſſu, à magis ſcilicet uniuerſalibus, ad minus uniuerſalia. Iam uerò quando, quomodo, & quibus in locis Tabularum uſus opportunus ſit, explicare operæprecium erit. Etſi enim diſpoſitio quæuis artificioſa in Tabulas redigi poteſt, non ſemper tamen per Tabulas proponi debet. Duplex enim eſt orationis character (quod ingenioſiſsimus Homerus in heroibus ſuis exprimere uoluit:) alter quidem prolixus, continuatus, & Aſiaticus: alter uerò breuis, conciſus, Laconicus, & ſapientum proprius, quo ueluti τεκμηρίῳ uſus Socrates, Spartas reconditæ philoſophiæ domicilium appellare non dubitauit. Sicuti ergo duplex eſt orationis modus, ita quoque duplici ratione diſciplinæ tradi poterunt (ut in Sophiſta Plato docet) uel μακρῷ λόγῳ, ſiue per diexodum: uel βραχεῖ λόγῳ, & per ſynopſin. Diexodus certè clarior eſt, & manifeſtior: Synopſis uerò compendioſior, & fortaſsis etiam utilior. Nam quod in corporibus accidere uidemus, ut craſſa & obeſa minus ad motum & functiones animæ ſint idonea, gracilia uerò expeditiora & magis uegeta: illud idem hîc quoque uſuuenit. Diexodus enim non contenta eſt Logicæ methodis, ſed fucos inſuper rhetoricos adhibet. At Synopſis rem ipſam ſimplicem atque nudam proponit, & exponit. Quare Tabulis feliciter utitur Synopſis. Diexodus non item, niſi ſuperflua omnia reſcindantur & amputentur. Sunt enim Tabulæ nihil aliud, quàm σχήματα quædam, hoc eſt, expreſſa tantùm ſimulachra τοῦ πρώτου παραδείγματος. Atque adeò quo picta imago à ſuo exemplari, ſiue

ri, siue à re cuius est imago differt, non lineamentis, non coloribus, non figura externa, sed sola materia subiecta: eo ipso quoque Tabulæ à tractatione ipsa quam exprimunt. Continent enim ordinem & dispositionem totam rei quæ tractatur, nudam, nullis uerborum phaleris obductam, simplicem, ratione potius quàm oratione nitentem, & ut uno uerbo dicam, planè Logicam. Quapropter etiam difficilior est & operosior explicatio authorum quæ per Tabulas instituitur, quàm quæ longa & continuata orationis serie producitur: nam artificium solum describit, aliena omnia respuit: nec quamuis partium connexionem, sed illam tantùm quæ ex rei tractandæ natura desumitur, admittit. Elegantior certè pictura est, & oculos magis delectat, quæ non sola lineamenta exprimit, sed uiuos quoque colores adhibet: at fidelior tamen & artificiosior, imò ueluti basis, est prima delineatio & rudis sciographia. Sic quoque Tabularum usus, etsi non elegantissimus, at certè utilissimus censeri debet, in γενέσει primùm, deinde uerò quàm maximè in ἀναλύσει. Nam si nihil rectè scribi dicique potest absque arte, ars autem dispositionem habet, dispositio uerò per Tabulas proponitur: luce meridiana clarius est, γένεσιν ipsam à rudi ista & quodammodo lineari tractatione ordiri, & neruos ipsos primùm effingere, quos deinde carne uestire & cute circumdare laborat. Si uerò absque arte nemo scribit, ne dissolui quidem poterunt aliorum scripta, absque artificiosæ dispositionis cognitione: contraria tamen ratione quàm in γενέσει. nam quæ illic prima fuit rudis delineatio, in opere Analytico postrema est. Itaque nec utilius quid, nec difficilius Tabulis inueniri potest. Vtilitatem habent propter ordinem, qui non modò tractationi, sed etiam memoriæ mirum in modum confert: difficultatem, propter rem ipsam, quæ ex suis tantùm fontibus deducenda est, si modò Tabulas ita ut decet conficere uolumus. Ex his omnibus constat, rectè à nobis dictum fuisse, γένεσιν simul & ἀνάλυσιν per Tabulas compendiosissimè posse tractari. Vbicunque enim partium est uarietas & habitudo inter prius & posterius, illic dispositio: ubi dispositio, ibi etiam ordo: ordinem porrò Tabulæ oculis nostris subijciunt, analyticæ quidem in aliorum scriptis enucleandis, συνθετικαὶ uerò in nouis Commentarijs elucubrandis. Quare ut communis est facultas Logica, cuius imperium in omni philosophia longè latéque patet: ita quoque Tabularum usus omnibus artibus & disciplinis accommodari potest. In Grammatica certè, propter argumenti facilitatem, primùm animaduersa fuit hæc ratio: eoque factum est, ut multi ad Grammaticos tantùm fabricam Tabularũ spectare iudicauerint. Quemadmodum uicissim imperiti quidam ad solam diuisionem Tabulas accommodari posse arbitrantur, propterea quòd facilior

lior eſt & expeditior Tabularum conficiendarũ ratio in diuiſiua Methodo, quàm in reliquis inſtrumentis Logicis, propter membrorum oppoſitorum euidentiam naturalem. Verùm enimuerò nec mundi oculum ſolem, quia Indos primùm matutina luce ſua luſtrat, ad ſolum Orientem pertinere aliquis mente compos contenderit: neque Tabulas uel ſolis Grammaticis inſeruire, uel ad diuiſiuam tantùm methodum referri poſſe exiſtimandum eſt. Iam ergo ſatis & abundè, ut opinor, Tabularum ratio & uſus in γνώσει pariter & in διαλύσει à nobis expoſita ſunt, quantum ad præſens inſtitutum attinere uidebatur. Supereſt, ut uiuis exemplis noſtram hanc doctrinam confirmemus. Ordinem igitur & methodos in γνώσει aliàs fortaſsis oſtendere conabimur, quandoquidem (ut Heſiodus inquit) οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ: ἀνάλυσιν uerò in Galeni commentarijs primùm aggredi & tentare uoluimus, qui ſolus poſt Ariſtotelem huius diſciplinæ magiſter fuit. Etſi enim in Ariſtotele quoque non minus præclara ſunt ordinum & methodorum exempla, quàm in ipſo Galeno: (quod labores noſtri, quos illius nomine in Italia lubentes uolenteſque ſuſcepimus, teſtari poſſunt:) tamen prius Spartam noſtram excolere, & de noſtri ordinis hominibus bene mereri uiſum eſt, eo maximè, quia non deſunt inepti quidam ſophiſtæ, qui quum lucem hanc caligantibus oculis ſuſtinere non ualeant, ad medicos tantùm hanc ordinum doctrinam pertinere ridiculè dictitent: eo ni fallor argumento perſuaſi, quoniam apud ſolum Galenum, ex tota antiquitate, nomina & rationem Methodorum, paucíſsimis uerbis comprehenſam, legerunt. Porrò quum uaria extent Galeni ſcripta, duos illos Commentarios, Artem ſcilicet medicinalem, & librum De conſtitutione artis medicæ, qui compendioſiſsimè uniuerſam artem complectuntur, in Tabulas redigere uoluimus, quæ artificij ſummam oculis ſubijcerent, & Commentarij ſeu Paraphraſeos loco eſſe poſſent: duorum denique Ordinum, ille quidem Definitiui, hic uerò Reſolutiui, exempla continerent. Idem fortaſſe in reliquis quoque Galeni libris conaremur, ſi quemadmodum ad compoſitiui ordinis regulas reduci poſſunt, à Galeno eodem ordine ſcripti eſſent. Nunc uerò quum nulla ſit inter eos genuina cohærentia, multa ſubinde deficiant, plurima redundent, & loco non ſuo repetantur: non malè faciet, qui Auicennæ exemplo, totam Medicinam ordine compoſitiuo tractare aggredietur: opus quidem arduum & difficile, utile tamen, nec tam laboris quàm gloriæ plenum. Verùm enimuerò ut ad id tandem, quod inſtitui, deueniam, IOANNES RODOLFE Princeps illuſtriſsime, Artem medicinalem, in qua integram artem definitiuo ordine Galenus abſoluit, Tabulis delineatam, & paraphraſticè explicatam, ſub tuo no-

mine in publicum exire curauimus, non modò quòd primus iste ingenij nostri fœtus tibi ex compromisso, fidei meæ liberandæ causa, debebatur: sed etiam, quia Principe uiro dignum munus hoc esse omnes boni iudicabunt. Medicina enim tota philosophica est, & Philosophia quædam sensata: proinde Regibus Principibusque semper accepta fuit. Testantur historiæ, non theoriam tantùm ab ijs fuisse excultam, sed in praxi quoque summam illos laudem consecutos esse. Quòd si igitur ars ipsa regibus conuenit, conuenient ijsdem quoque præcepta artis: quæ, sicubi aliàs, in Arte præsertim medica Galenus summa fide, felici breuitate, & mirabili ordine complexus est. Ita quidem, ut liber iste non modò Isagoges loco esse posit tyronibus: uerumetiam ij qui artem iam didicerunt, & ad actionem ipsam (qui finis est Medicinæ) properant, hoc artis compendium tanquam Enchiridion secum deferre debeant, ex quo memoriæ, alioqui labili, in tam uasto præceptorum pelago, & tanta uitæ humanæ breuitate, consulere queant. Quid nos in διαλύσει ista præstiterimus, ut aliorum sincero iudicio permittere malo, quàm de me ambitiosius aliquid prædicare: ita hoc ingenuè & citra iactantiam dicere possum, nihil mihi potius fuisse, quàm ut διαλυτικὴν Methodum secutus, ad suos fontes singula reuocarem, & pro ingenij nostri uiribus, ex ipsius rei natura singula deducerem. Quapropter quum illustris ualde sit diuisionis natura (Platone autem teste, optimus diuidendi artifex Deum habet familiarem: hoc est, ut ego interpretor, diuinæ mentis particulam, & rationis mirificam perspicaciam, qua similia à dissimilibus distinguere & separare nouit) quantum eius fieri potuit, diuisionibus crebris & generalibus usi sumus, per communes terminos, Essentiale & Accidentale, Commune & Proprium, Generale & Particulare, Internum & Externum, Materiale & Formale. Nam cùm in omnibus ferè rebus hæc uel omnia, uel certè aliqua obseruare liceat: non absurdum est, ab ijsdem rem quamlibet diuidere, seu potius distinguere, prout natura rei & docentis ordo efflagitabit. Porrò quia capitum ordo à nobis immutatus fuit (hoc enim analysis artificiosa requirebat, ne more imperiti coqui membra continuæ orationis dilaniare, non autem per articulos suos diuidere uideremur) Galeni quoque contextum per capita, noua ratione distinctum, adiunximus, ne propter capitum seriem immutatam studiosi Lectores hærerent. Translationem Leoniceni, non distinctionem, retinuimus: quòd nec melior illâ habeatur, nec multum in ea desiderari posit. Hunc ergo nostrum laborem, Princeps & Antistes amplissime, fidei meæ obsidem, meæque erga te obseruantiæ & uoluntatis perpetuum testem, ad te mitto: atque id unum peto, ut quod de Petro Bayro (cuius praxin nominis tui splendori dedi-

cauimus) fecisti, Galenum quoque hunc nostrum inter præclaros BIBLIOTHECAE tuæ thesauros locum obtinere sinas: operamque nostram, in quibusuis alijs occasionibus T. C. addictissimam, beneuolo placidoque animo fouere pergas. Vale, Principum & Antistitum decus. Basileæ, Idibus Iunij,

M. D. LXI.

T. C. D.

Theodorus Zuingger Basiliensis, Philosophus & Medicus.

GALENI ARS MEDICINALIS,
NICOLAO LEONICENO INTERPRETE.

PROOEMIUM.

TRES sunt omnes doctrinæ, quæ ordini inhærent: Prima quidem ex notione finis, quę per resolutionem fit: Secunda, ex compositione constat eorũ quæ ex resolutione fuerint inuenta: Tertia, ex definitionis dissolutione, cui nunc incumbimus. Licet autẽ huiuscemodi doctrinam appellare non tantum diffinitionis dissolutionem, sed & explicationem, ut nonnulli uocarũt, uel resolutionem, uel diuisionem: uel (ut nõnulli alij) explanationem: uel expositionem, ut alij. Conati sunt & Herophiliorum quidam talem facere doctrinam, quemadmodum Heraclides Erythriæus. Conati sunt & eam quæ per compositionẽ & ipsi Herophilij, & quidam Erasistrati sectatores, & Athenæus Attaleus: Neminem tamen ante nos eam quę oritur à notione finis, scripsisse comperimus, ex qua omnes artes uia quadam atq; ordine constituuntur: sed illam quidem alio pertractauimus loco. Hic uerò diffinitiuam faciemus doctrinam, quæ quantum ab ea quæ ex resolutione consistit, & dignitate & ipso docẽdi ordine linquitur, tantum & ad totius compendium, & ad singulorum memoriam præstare inuenietur: sufficienter enim facillimè memorię commendantur ex diffinitionis dissolutione uniuersa. Quoniam totius artis capita in se optima diffinitio complectitur, quam quidam substantialem uocant, ex aduerso distinguentes alijs quæ notionales appellantur. Illæ siquidem ab his quæ accidunt rebus diffinitis, hæ uerò ab ipsa essentia constituuntur. Elaborata autem est à nobis particulatim, & in pluribus conscripta tractatibus, totius Medicinę contemplatio, quibus uti quis possit ad triplicem doctrinam. Nunc uerò definitiuam aggrediemur, hoc unum apponentes, quòd solùm capita, & quædam ueluti cõclusiones eorum quæ alibi latius sunt demonstrata, nunc à nobis dicentur.

TRACTATIO.

Medicinæ definitio, & explicatio generalis.

CAPUT PRIMUM.

MEdicina est scientia salubrium, & insalubrium, & neutrorum. Nihil uerò differt, & si quis loco insalubrium, ægrorum dixerit. Nomen uerò scientiæ communius; non autem propriè accipere oportet. Salubre autem, & insalubre, & neutrũ, unumquodq; tripliciter dicitur: hoc quidem ut corpus, hoc autem ut causa, hoc uerò ut signum. Etenim corpus quod sanitatem natura suscipere aptum est, & causam quæ eandem efficere uel conseruare, & signum quod potest indicare: hæc omnia salubria Græci appellare consueuerunt. Eadem ratione & susceptiua morborum corpora, & eosdem efficientes conseruantesq; causas, & signa indicantia, insalubria uocant. Nec aliter corpora neutra causas signaue dixerunt: & secundum quidem primam rationem atq; præcipuam causarum salubrium est medicina scientia: propter eas autem & aliarum secundo quidem loco insalubrium, & tertio neutrarum. Et post has eodem modo corporum primò quidem, & hic salubrium: secundo loco insalubrium, tertio neutrorum. Itidem de signis dicendum. In actionibus autẽ prima quidem est corporũ cognitio quæ habetur ex signis: post hęc earũ quæ in ipsis, inuentio causarũ.

Sed quoniam & effectiuum, & indicatiuum, & susceptiuum, dupliciter unumquodque dicitur, hoc quidem simpliciter, hoc uerò ut nunc: nosse oportet, amborũ esse medicinæ scientiam. Ipsum uerò simpliciter duobus dicitur modis, & quod semper, & quod utplurimùm: de quorum utroque medicina pertractat. Neutra uerò, & causa, & corpus, & signum, & quod simpliciter dicitur, & quod ut nunc, tripliciter unumquodque appellatur: hoc quidem quia neutrius contrariorũ est particeps, hoc uerò quia utriusque, hoc uerò quia aliquando huius, aliquando illius. Horum autem ipsorum secundum, rursus duobus dicitur modis: aut quia utrunque contrariorum ex æquo participat, aut quia aliquãdo plus alterum. Est uerò & in tota definitione, si uerba animaduertimus, ambiguitas quædam, quam & ipsam dissoluere oportet. Quum enim dicitur, medicinam esse scientiam & salubrium & insalubrium & neutrorum, significatur & quòd omnium particularium, & quòd quorundam, & quòd qualium. Sed omnium quidem indefinitum quoddam est atque impossibile, quorundam diminutum atque artificio carens: qualium uerò, artificiosum pariter atque sufficiens ad omnia artis particularia, quod etiam dicimus in medicinæ definitione comprehendi. Primùm igitur de corporibus dicere aggrediemur, qualia nam sint & salubria, & insalubria, & neutra: post hæc de signis & causis differemus.

De corporibus in uniuersum. CAP. II.

SAlubre simpliciter corpus est, quod ab ipso naturæ ortu bonam habet temperaturam in simplicibus & primis particulis, atque in his quę ex illis componuntur instrumentis est commensuratum. Salubre uerò nunc est corpus, quod in pręsenti est sanum: est uerò & hoc eo tempore quo sanum existit, bonam habens temperaturam & commensurationem, non tamen optimam, at sibi propriam. Ipsius uerò salubris simpliciter corporis tale quidem est semper, id quod est optima temperantia præditum, ac maximè est commensuratum: ut multùm autẽ, quòd à constitutione optima non ualde admodum deficit.

Insalubre uerò simpliciter est corpus, quod ab ipso ortu naturæ, uel in cõsimilibus partibus malam habet temperaturam, uel in instrumentarijs incõmensurationem, uel utrunque uitium. Insalubre uerò nunc est corpus, quod eo tempore quo tale dicitur, ægrotat: neque obscurũ est, quòd & hoc ipsum eo quo dicitur tempore ægrotans, uel in consimilibus malam habet temperaturam, uel in instrumentarijs incommensurationem, uel utrunque. Est uerò & semper insalubre, quod ex ipso naturæ ortu uel pessimam habet temperaturam in simplicibus, & primis particulis omnibus, uel aliquibus, uel his quę obtinent principatũ, uel in instrumentarijs incommensuratum existit. Similiter autem in his, uel omnibus, uel aliquibus, uel illis quæ obtinent principatum. Vt multùm uerò insalubre est corpus, quod ab huius quidem uitio recedit, nondum tamen mediocritatem attingit.

Quoniam uerò & neutrum corpus tripliciter dicebatur: unum quidem quod neutrius erat, extremæ dispositionis particeps: aliud autem, quoniam utriusque: aliud, quoniam aliquando huius, aliquãdo uerò illius: iuxta primum significatum, Neutrum erit corpus, quod exquisitè medium est & saluberrimi & insaluberrimi corporis: & huius hoc quidem simpliciter tale, quod ab ipso ortu naturæ ita est constitutum: hoc uerò ut nunc, quod in præsenti tempore medium exquisitè existit saluberrimi atque insaluberrimi corporis. Ipsius autem simpliciter semper quidem tale est, id quod in omnibus ætatibus tale perdurat: ut multùm autem, quod nonnullas recipit mutationes. Iuxta uerò secundum significatum neutrũ erit corpus, quod ab ipso ortu naturæ contrariarum simul est particeps dispositionũ, aut scilicet in una parte, aut in duabus differentibus. In una quidem, si secundum alteram

ram oppositionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperaturam, uel etiam secundũ utranque, sed in formatione uel magnitudine, uel numero partium, uel situ delinquat: aut contrà in his quidem rectè se habeat uel omnibus, uel quibusdam, peccet autem in temperatura. In differentibus uerò partibus & iuxta omnes oppositiones, potest quicquam simul particeps esse contrariorum. Et semper quidem tale, quod per omnes ętates in eodem perseuerat: ut multùm uerò, quod aliqua ex parte euariat. Ita uerò & nunc neutrum erit corpus iuxta secundũ significatum, quia uel parte in una hęc quidem sibi salubria existunt, illa uerò insalubria, uel in differẽtibus ita afficitur partibus. Iuxta uerò tertium significatum neutrum erit corpus, quod aliquando quidem salubre, aliquando uerò insalubre existit: ut nonnullis accidit, qui in pueritia salubritate corporis uigent, quum uerò ad iuuentutem peruenerint, insalubres euadunt, aut contrà. In uno autem tempore, quod ita est neutrum, consistere nequit: latius uerò si accipiatur, contingit. Nouimus autem, uel in una parte, uel in pluribus, quod nunc dupliciter dicitur. Salubre igitur & insalubre, & neutrum corpus quot modis dicatur, & quale unumquodque sit, sufficienter explicauimus. De signis uerò deinceps dicendum.

De signis in uniuersum. CAPUT III.

SVnt autem & ex his salubria quidem, quæcunque præsentem indicant sanitatẽ, & futuram prænunciant, & præteritam memoriæ subijciunt. Insalubria uerò, quæ & præsentem indicant ægritudinem, & futuram prænunciant, atque præteritam memoriæ subijciunt. Eadem ratione neutra dicuntur, quæ neutram dispositionem ostendunt, prænunciant, & memoriæ subijciunt: & quæ nihil omnino de dispositionibus indicant, uel nihilo magis salubrem quàm insalubrem dispositionem ostendunt: & partim quidem salubrem, partim uerò insalubrem indicant dispositionem: & quæ aliquando quidem salubrem, aliquando uerò insalubrem: & hæc quoque secundum tria tempora ueluti salubria & insalubria appellantur. Vocantur autem nonnunquam à uetustioribus Medicis hæc omnia, signa prænunciatiua, quamuis præsentium ac præteritorum indicatiua. Vsus uerò non paruus ex prænunciatiuis atque indicatiuis, minor aũt ex his quæ memoriæ subijciunt.

Signa diagnostica corporis optime constituti. CAP. IIII.

QVum uerò sint salubria corpora, hęc quidem simpliciter, hæc uerò ut nunc, quæ & benè ualentia dicuntur, Salubrium simpliciter corporum duplicem diximus esse differentiam: quoniam nonnulla quidem semper, nonnulla uerò ut multùm essent talia. Et semper quidem, quæ optimam cõstitutionem sortita sunt: ut multùm uerò, quæ non magnopere ab illa recedunt.

Horum autem dignotiones sumendæ sunt ab his quæ secundum essentiæ rationem ipsis insunt, & ab his quæ ex necessitate consequuntur operationibus, casibusque qui propriè accidentia uocantur. Ab essentia quidem ipsa, eorum quę optimam habẽt constitutionem: cõmensuratione consimiliũ quidẽ, in caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate. Instrumentorum uerò, in quantitate ac numero eorum ex quibus componuntur: ac præterea formatione, situ partium singularum ac totius instrumenti. Ex his uerò quæ ex necessitate consequuntur consimilia, quantum quidem attinet ad tactum, à mediocritate quæ in mollitie ac duritie consistit: quantum uerò ad aspectũ à colore optimo, & læuitatis atque hispiditatis mediocritate. In operationibus, à perfectione, quam & ipsarũ uirtutem appellamus. Ab his uerò quæ instrumentarias partes consequuntur, à commensuratione & pulchritudine omnium totius corporis instrumentorum, ac præterea ab earum quæ ipsis insunt uirtute operationum. Optimæ igitur constitutionis corporum signa indicatiua sunt hæc. Eorũ autem quæ ab ipsa deficiunt, & adhuc tamen sa-

lubria existunt, nonnulla quidem in consimilium temperatura uitiū aliquod paruum habēt, nonnulla uerò in instrumentariorū commensuratione: & hoc quoq; perexiguum. Accidit autem hoc uel in omnibus, uel in aliquibus, aut in utrisque. Vitiorum uerò genera eadem sunt his quæ uirtutem perficiunt, tēperatura quidem in consimilibus: numerus autē, & formatio, & magnitudo, & situs in instrumentarijs: utrisq; uerò communis unitas, quam & ipsorum continuitatem appellamus. In his autem ipsis generibus sunt corporum insalubrium uitia, secundum utrunq; insalubritatis significatum. Terminus autem qui utrunq; distinguit, est operationum læsio sensibilis. Quæ uerò ab optima corporum constitutione breue aliquid deficiunt, reuerà quidem & ipsa in aliquo sunt offensa, non tamen id sensu comprehenditur. Distinguuntur uerò ex eo, quod magis minusúe in operationibus existit: ac quia causis quæ ægritudinem pariunt, non æquè resistūt. Quæ autem simpliciter insalubria sunt corpora, distinguuntur ob id, quòd facilè à causis quæ morbos committendi uim habent, superantur: & quoniam in uigore operationum plurimùm deficiunt. In medio autem amborum collocātur ea quæ neutra exquisitè appellantur, & cum latitudine quadam. Quo fit, ut tota sanitatis latitudo in tres partes, quarum singulæ latitudinem habent non paruam, diuidatur. Erit autem prima quidem salubrium corporum, secunda neutrorum, tertia insalubrium. Post quæ deinceps sequuntur quæ iam ægrotant corpora, quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguuntur. Quæ igitur dolore infestantur, & quorum motus sunt uitiosi, aut omnino interierunt, manifestam habent determinationem. Quæ uerò imbecilles edunt operationes, in magnis quidem distantijs facilè discernuntur, in paruis uerò ambigua sunt, atq; idcirco in eo genere noxæ collocantur, quæ neutrius contrariorū participat dispositio, quam & ipsam neutram dicimus appellari: ita tamen, ut horum omnium sensus sit iudex, non ipsa natura rerum inspiciatur, ne periculū sit in dogma perpetuæ passibilitatis incidere. Et quidem signa sanorum corporum, quæ insalubria, salubriaq; & neutra existunt, quantitate distantiæ differunt, duobus inuicem contrarijs terminis à nobis statutis, optima uidelicet constitutione corporis, & nuper facta ægritudine, ac deinceps considerantibus utri eorum uiciniora sunt ea quæ ad examen corpora ueniunt. Quæ enim proximiora sunt optimæ constitutioni, salubria: quæ uerò ab hac longius distant, atq; ad eá quæ iam ægrotant magis accedunt, insalubria: quæ autem intermedia, atq; æqualiter ab utrisq; distare uidentur, neutra.

Signa diagnostica corporis medij in uniuersum. CAP. V.

Optimæ igitur constitutionis corporis indicia explicauimus. Eorum uerò quæ ab ipsa deficiunt, totidem sunt numerò genera, quæ in magis & minus secari possunt. Quum autem in tres latitudines diuisa sint, corporis insalubris simpliciter indicia trademus: ex his enim & reliquę duæ latitudines innotescent. Generaliter igitur prius à nobis in eo quem de Optima constitutione sermonem habuimus: specialiter autem nunc dicetur, si prius partes diuiserimus.

Sunt uerò earum quatuor uniuersæ differentiæ. quoniam nonnullæ earū principia quędam existunt: aliquæ uerò ab ipsis originem habent: aliquæ nec aliarum gubernationi præsunt, neq; aliunde gubernantur, quum insitas habeant à natura potentias à quibus reguntur. Quędam uerò sunt, quę insitas simul & aliunde emanantes habent. Principia igitur sunt, Cerebrum, Cor, Hepar, Testiculi. Ab his uerò ortum habent, atq; eisdem subministrant, Nerui quidem & spinalis medulla, Cerebro: Cordi uerò, arteriæ: Hepati, uenæ: ipsa uerò seminaria uasa, Testiculis. Quę autem à seipsis gubernantur, sunt, Cartilago, Os, Copula seu ligamentum, Membrana, Adenes, Adeps, Caro simplex. Reliquę uerò partes cum unà cū istis

habeant

habeant ex se ipsis regimen, arterijs, neruis & uenis insuper eguerunt. Capillorũ autem atque unguium neque regimen ullum est, sed generatio tantummodo. Hæ igitur sunt partium differentiæ.

Signa diagnostica intemperati cerebri generatim. C A P. VI.

INdicia autem singularum temperaturæ, sumpto à Cerebro initio, deinceps dicemus. Sunt uero quinque uniuersa genera, quæ ipsius naturam ostendũt. Primùm quidem, totius capitis dispositio: secundum uerò, sensibilium operationum uirtus et uitium: & tertium, actiuarum: quartum, earum quę tenent principatum: & quintum, naturalium. Aliud uerò genus præter hæc omnia, ea quæ extrinsecus aduenit alteratio. Et quidem totius capitis dispositio, ex magnitudine & figura sumitur, atque capillis.

Paruum igitur caput, uitiosæ constitutionis cerebri proprium est indicium: magnum uerò, non necessariò indicat bonam cerebri compositurام: sed siquidem ob insitæ uirtutis robur, quæ multam atque optimam materiam afformauerit, eueniat, optimum est signum: at si ob materiæ tantum multitudinem, haudquaquam bonum. Distinguenda uerò sunt hæc & ex figura ipsa, & ex his quæ ab eo habent ortum. A' figura quidem ipsa, si concinna: semper enim hoc bonum est signum. Ex his autem quæ ab eo ortum habent, si ualida est ceruix, & si alijs ossibus optimè constet, atque omnis præterea neruosa substantia boni sit habitus, ac robur habeat intentum. Propria autem capitis figura est, ueluti si excogitares sphæram exquisitè rotundam, ex cera constructã, paulatim utrinque depressam. In hac enim necesse est, ut posteriores priores'ue partes plus gibbæ fiant quàm sphæræ conueniat: quæ uerò utrinque consistunt, magis rectæ. quòd si ea quæ secundum occiput eminentia aliquatenus minuatur, simul intueri oportet neruos atque ceruicem unà cum ossibus alijs. Nam si secundum naturam constiterint, materiæ defectu, non uirtutis imbecillitate contingit. Illis uerò non rectè se habentibus, principium est debile. Sed magna ex parte defectus qui occipiti eueniunt, consequitur eorum quæ antè diximus imbecillitas, rarissimeq́ꝫ aliter euenire consueuit. Caput autem quòd secundum occiput in acutiem tendit, animaduertere oportet, ijsdem adhibitis distinguendi rationibus, quibus antea in capite grandiori facto utebamur. Vt plurimùm uerò & hic optimum est signum, figura concinna eius partis quæ cerebro adhæret, quam nonnulli medici Posterius cerebrum appellare consueuerunt: quemadmodum & posterius existit ea futura quæ Græcæ Λ formã habet præfinitam. Est uerò huiuscemodi pars spinalis medullæ principium, & eius ratione neruorum omnium in toto animali qui actionibus obseruiunt. Ipsa autem pars posterior per seipsam paucos admodum sensitiuos obtinet neruos, plurimos uerò actiuos: sicuti & anterior sensitiuos quidem plurimos, paucos admodum actiuos. Quare ubi bene fuerit affecta utraqꝫ pars, robustas habebunt eas quæ ab ipsis deriuationes. Eædem quoqꝫ distinctiones adhibendæ sunt ad partes capitis anteriores ad frontem attinentes, quę etiam ad posteriores: earundemq́ꝫ & paruitatem & magnitudinem inspicere oportet, atque itidem figuram & sensus ibi collocatos, uisum, gustum, atque odoratum. Hæc enim se inuicem indicant atque attestantur, & quæ à principijs oriuntur, principij uirtutem & uitium: & principium, ea quæ ab ipso nascuntur.

Earum autem operationum quæ obtinent principatum, uirtus ac uitium sunt ipsius principij seorsum tantummodo indicia. Voco autem operationes principatum obtinentes, quæ à solo principio proueniunt. Ingenium quidem igitur, subtilem cerebri substantiam indicat: tarditas uerò intellectus, crassam: discendi uerò facilitas, formarum facile susceptiuam: memoria autem, stabilem ac firmam:

mam: ſicuti & diſcendi difficultas, formarum non facilè ſuſceptiuam: & obliuio, fluidam: mobilitas quoque in opinionibus, calidam: ſtabilitas autem, frigidam. Adhuc autem duo indiciorum genera mihi uideor prætermiſiſſe, de quibus ſum ab initio me dicturum pollicitus: quorum alterum ad operationes attinet naturales, alterũ uerò ad ea quę extrinſecus occurſant. Erit aũt in utriſq; ſermo cõmunis.

Siquidem cerebrum ſortiatur bonam quatuor primarum qualitatum temperaturam, omnia quæ diximus habebit moderata: & excrementa quæ uel per palatum, uel aures, uel nares, uel oculos expurgantur, hæc quoque modicè ſe habebunt: atque ab his quæ extrinſecus occurſant, minimè lædetur, quæ ſcilicet uel calefaciunt, uel frigefaciunt, uel humectant, uel exiccãt. Talibus igitur capilli capitis, quum adhuc ſunt infantes, ſubruffi: quũ uerò pueri, ſubflaui: quum iam adoleuerint, flaui fiunt: medij q; ſunt inter eos qui omnino ſunt criſpi & ſimplices, nõ tamen facilè caluitium patiuntur. Quæ uerò dicuntur, ac poſterius dicenda indicia ſunt, accipere oportet, ut in bonam habentib. temperiem habitationibus. Quę autem ad capillos attinent, non ad locorum tantùm, ſed ad humorum quoq; temperaturam, qui cerebri temperaturę proportione reſpondent, ſunt referenda. Si uerò calidius ſit quàm oporteat, in altera uerò oppoſitione bonam habeat temperaturam, ſiquidem in caliditate exceſſerit, omnia quæ dicentur, ualidiora erunt indicia: ſed ſi paruus fuerit exceſſus, imbecillia. Communis autẽ hæc ratio ſtatuatũ in omnibus partibus, quarum in temperaturis uniuerſis indicia ſumus tradituri.

Diagnoſtica ſigna intemperiei ſimplicis cerebri. CAP. VII.

DEinceps igitur ſigna caliditatis cerebri, præter ea quæ nuper diximus, ſunt, quòd ea quæ circa caput, omnia rubicunda & calida magis, & quæ in oculis uenæ magis ſenſui patent. Capilli quoque in his ſtatim in lucem editis habent in capite ortum: & quum plurimùm in caliditate à mediocri temperatura receſſerint, nigri, & robuſti, & criſpi fiunt: quum uerò non multum, ſubflaui quidem ab initio fiunt, deinde nigricant, ac progredientibus ætatibus caluitium patiuntur: atque eo magis, qui plus modico ſunt calidiores. Excremẽta uerò quæ per palatum & nares, & oculos & aures, pauca & concocta ipſis exiſtunt, quum integram habuerint ſanitatem. Quum uerò eis caput repletur (continuò enim, ac tum pręſertim quum nullam uictus ſeruauerint rationem, tale quid eis accidit) plura quidem in ipſis excrementa, ſed non incocta generantur, implenturq; atque aggrauantur eorum capita à calidis cibis & potibus, odoribus, atque hiſce omnibus quæ extrinſecus occurſant: in quorum numero eſt, & qui nobis circumfunditur aer. Sed præterea magis, ſi non ſolùm natura calida, ſed etiam humida corpora extiterint. Breuibus autem ſomnis huiuſmodi temperaturæ contentæ ſunt, neq; admodum profundis.

Frigidioris uerò quàm oporteat cerebri indicia ſunt, plura in proprijs meatibus excremẽta, & capilli recti, & ruffi, & ſtabiles, & qui longo poſt natiuitatẽ tempore naſcuntur tenues, atque ab initio malè nutriti: & facilè à cauſis frigidis offenduntur, atque hoc ipſo offenſionis tempore diſtillationibus & grauedinibus capiuntur: neque ſi tetigeris partes ad caput attinentes, admodum calidæ ſentiuntur: neque ſi inſpexeris, rubicundę apparent: & oculorum uenæ omnino uiſum effugiunt, & ſomnolentiores quodammodo ſunt.

Sicciores autem cerebri indicia ſunt, paucæ ſuperfluitates effluentes, & ſenſuum perſpicacitas. Sunt autẽ ad uigilias prompti, & capillos habent robuſtos, & qui celerrimè eis genitis innaſcuntur. Criſpi autem potius ſunt quàm recti, citò autem calui fiunt.

Humidioris uerò cerebri indicia, capilli plani, & nequaquã calui fiunt: ſenſus autem

autem turbulenti, & excrementorum multitudo: somni multi, atque profundi. & hæ quidem simplices sunt intemperaturæ.

Signa diagnostica intemperiei composita cerebri. CAP. VIII.

Compositæ autem, primùm calida & sicca: secundum quam & superfluitatibus carent, & sensibus uigent, & plurimùm uigilant, & citò calui fiunt. Et prima quidem capillorum generatio celerrima est, ac plurimo abundans alimento. Capillos uerò habent nigros, & crispos: & tangentibus caput calidi sentiuntur, & sunt rubicundi usque ad ætatem consistentiæ.

Si uerò humiditas adiungatur caliditati, parum utriusque qualitatibus superantibus mediocritatem, color bonus, & quæ circa oculos calidiora, uenæ magnæ, & plura excrementa, & mediocriter cocta, & capilli recti, subflaui, & non facilè calui fiunt. Implentur uerò atque aggrauantur eorum capita à calidis: at si humectentur, tunc multo magis excrementorum habent multitudinem. Et si plurimum caliditas atque humiditas creuerit, his caput ægritudinibus est obnoxium, atque excrementis abundans: & quòd facilè à calefacientibus atque humectantibus offendantur. Auster uerò semper eis aduersatur, atque optimè in Aquilone se habent: non tamen diu uigilare possunt. & quum se ad somnum conuerterint, simul graui somno tentantur, & uigilant, & somnia habent imaginationibus plena: uisus eis turbulenti, neque satis sensibus uigent. Quòd si plurimum in caliditate cerebrum à mediocritate recesserit, paululum autem humidius extiterit, calidæ temperaturæ indicia quidem superabunt, cum quibus leuia quædam humiditatis signa coniungentur: ueluti si longè quidem humidius, paululum uerò calidius, uehementia quidem erunt ac manifesta humiditatis indicia, debilia autem caliditatis. Communis uerò hæc ratio in omnibus compositis intemperaturis existit.

Frigidæ uerò & siccæ cerebri intemperaturæ frigidum, & minimè coloratum sui ratione caput reddunt: semper enim memoria repetenda, quæ à nobis ab initio est distinctio posita, ut præterea aduertamus quantum ex humorum temperatura alterentur, quæ circa ipsum consistunt. Protinus autem huiuscemodi temperaturæ uenis carentes habent oculos, & à causis frigidis facilè læduntur. Quare & inæquali sanitate fruuntur: quoniam nonnunquam leuissima habent capita, & excrementorum moderatos effluxus: nonnunquam uerò & grauedinibus & destillationibus minima ex causa capiuntur.

Sensus autem eorum in iuuentute quidem omnes uigent, atque omni uitio carent: sed progrediente ætate citò marcescunt. Et ut summatim dicatur, omnes celerrimam circa caput senectutem ostendunt. Quare & citò cani fiunt, capilli uerò ipsis quidem genitis uix exeunt, & malè nutriuntur, & ruffi sunt. In progressu autem ætatis superante magis frigiditate caliditatem, quàm siccitate humiditatem, multùm non caluescunt. Contrà uerò si contigerit siccitatem quidem plurimùm dominari humiditati, frigiditatem uerò caliditati parùm, calui fiunt hi.

Humidæ uerò & frigidæ cerebri temperaturæ faciunt homines graui somno tentari, & ad somnum facilè conuerti, sensibus quoque minimè uigentes, atque excrementis redundantes, & qui caput frigiditati ac repletioni habent obnoxium, ac destillationibus & grauedinibus facilè tentantur: neque tamen hi calui fiunt. Hæc igitur indicia sunt cerebri temperaturæ, à quibus si progrediaris, ad unumquodque sensorium dignotiones transferre licebit.

Signa diagnostica oculorum temperaturæ inæqualis. CAP. IX.

SEd sufficiet de oculis facere mentionem. Quicunq; tangentibus quidem manifestè calidi existunt, & facili ac crebro motu cientur, & uenas latas habent, hi calidi omnes sunt: frigidi uerò, his contrarij. Et humidi quidem molles simul, & multa humiditate pleni: sicci uerò duri simul, & aridi. A' similibus autem suæ temperaturæ causis facile offenduntur, iuuantur autem à modico contrariorum usu: sed hoc quidem commune in omni cuiuscunq; partis temperaturæ dignotione oportet meminisse.

Magnitudo oculorum quidem, ubi concinnitas adsit, & operationum uirtus, multitudinem bene temperatæ substantiæ ostendit, ex qua sunt conformati: quæ si desint, multam quidem substantiam, non tamen bene temperatam ostendunt.

Paruitas uerò oculorum, adiuncta quidem concinnitate ac uirtutum operatione, paucam quidem, sed bene temperatam substantiam ostendit, ex qua sunt conformati. Si uerò sociam habuerint inconcinnitatem quandam, atq; operationum uitium, tunc paucam simul ac uitiosam materiam ostendunt.

Quæ uerò ad colores attinent, ita distinguere oportet. Glauci quidem oculi, qui pura humiditate ac non multa præfulgent, tales fiunt ob splendidi luminis abundantiam: contrà uerò nigri, & qui intermediam naturam seruant, causas quoque intermedias habent.

Glaucus igitur oculus fit uel propter magnitudinem, uel propter splendorem humoris qui à Græcis crystalloides nominatur, uel propter situm prominentem: aut propter tenuis & aquei humoris, qui in pupilla existit, paucitatẽ & puritatẽ. atq; omnibus quidem in unum conuenientibus, fit glaucissimus oculus. Quòd si aliqua adsint, aliqua uerò non, tunc maior minorúe glaucedo contrahitur. Niger uerò oculus fit aut ob paruitatem crystalloidis, aut propter profundum situm, uel quoniam splendidus ac fulgidus exquisitè non est: uel quoniam tenuis humor uel superabundat, uel purus non existit: uel propter unam aliquam ex his quas antè diximus causis, aut propter omnes fieri consueuit. In ipsis autem magis & minus (ut antè diximus) reperitur. Tenuis igitur humor quo magis ad aquę naturã accedit, & superabundat, humidiorem oculum ostendit: quemadmodum si crassior ac minor fiat, sicciorem. Crystalloides autem, si quidem durior existat, sicciorem efficit oculum: si uerò mollior, humidiorem. sic & si plus modico tenuem humorem excesserit, sicciorem: si autem defecerit, contrarium.

Signa diagnostica temperaturæ simplicis insalubris cordis. CAP. X.

DE cordis autẽ temperaturis deinceps dicendum est: si prius hæc in memoriã reuocauerimus, quòd unamquamq; partem seipsa uel calidiorem, uel frigidiorem, uel sicciorem, uel humidiorem dicimus factam, non alicui rei alteri comparantes, sed ad seipsum. Sic enim utcunq; extiterit cor natura frigidissimum, multo sanè calidiorem temperaturam possidebit calidissimo cerebro.

Calidioris igitur cordis, ut ad modum qui ei proprius est atq; conueniens, indicia quædam sunt inseparabilia, & propria magnitudo respirationis, & pulsus uelocitas, & frequẽtia, & audacia, & ad actiones natura prompta. Quòd si multùm in caliditate excesserit, tunc furibunda quædam iracundia & temeritas adsunt. Est autem his thorax hispidus, & præsertim pectus: & quæcunque hypochondrijs partes proximiores. Magna uerò ex parte calidi cordis temperatura uniuersum corpus calidum reddit, nisi hepar uehementius obstiterit. Dicemus autem paulo inferius totius corporis indicia. Est quidem & latitudo thoracis, caliditatis indicium, nisi & hic quoque cerebrum plurimùm obstiterit: quoniam ei magna spinalis medulla respondet. tantæ uerò erunt magnitudine uer-

ne uertebræ, quanta & spinalis medulla: quare & spina uniuersa. Configitur uerò thorax ad eam spinæ partem, quæ Metaphrenum, id est Dorsum dicitur, tanquam ad carinam nauis. Quare necessariò eius longitudo æquabitur dorso: latitudo uerò erit pro uertebrarum ratione, quando ad proportionem earum crassitudinis fuerit confixus. Quum uerò cordis caliditas superans perflauerit ac dilatauerit in primo sui ortu thoracem, erit eiusdem caliditati proportione respondens. Quare quum caput paruum, thorax autem latus extiterit, maximum hoc tibi fuerit cordis caliditatis indicium: quum uerò magno existente capite, paruus fuerit, propriissimum hoc erit cordis frigidioris signum. Si uerò capiti fuerit proportione respondens, tunc aliis signis de corde distingues, ex ipsius thoracis amplitudine nihil assumens.

In frigidiore uerò corde, pulsus minores existunt, quàm modo naturæ conueniat: non tamen necessariò tardiores, uel rariores. Respiratio autem, siquidem tantò thorax minor extiterit, quanto cor frigidius, pulsibus erit proportionalis. Si uerò maior fuerit quàm pro frigiditatis uehementia, non minorem tantum, sed etiã tardiorem & rariorem naturam ostẽdit. Tales autem timidi sunt, & sine audacia, & segnes, & nudum pilis habent pectus. De eius uerò paruitate distinguendum, ut diximus prius. Eodem modo & de totius corporis caliditate.

Cor autem siccius, pulsus efficit duriores: & iram non promptam quidem, sed feram, & quæ non facilè sedari queat: magnaq́ ex parte uniuersum corpus siccius existit, nisi hepar obstiterit.

Cordis uerò humidioris signa, pulsus molles: & mores ad iram quidem procliues, sed talem quæ facilè sedari possit: & uniuersum corpus humidius existit, nisi hepar obstiterit. Secundum uerò coniugationem qualitatum primarum, uitiosæ cordis temperaturæ ita se habent.

Signa diagnostica intemperaturæ composita cordis. CAP. XI.

Calidi & sicci cordis, pulsus duri sunt, & magni, & ueloces, & frequentes: & respirationes magnæ, & ueloces, & frequentes: & multo magis ad uelocitatem ac frequentiam uergunt, thorace cordi non aucto proportionaliter. Hi uerò præ cunctis pectus habent maximè hirsutum, & hypochondria. Ad actiones autẽ prompti sunt, & iracundi, & impudentes, & mores tyrannicos habent: etenim ad furorem faciles, non facilè uerò placabiles. De totius autẽ corporis temperatura, & thoracis amplitudine, his quæ antè diximus, proportionaliter est distinguẽdũ.

Si uerò caliditas unà cum humiditate dominabitur, minus quidẽ his quos antea diximus, hi sunt hirsuti: ad actiones uerò nihilominus prompti. non tamen ferior est animus, sed ad iram procliuis tantummodo. Pulsus uerò magni ac molles, ueloces & frequentes existunt: & respiratio, quum thorax cordi fuerit proportionalis, eandem pulsibus formã seruabit. Si uerò minor extiterit, tanto illis uelocior erit, & frequentior, quanto & thorax minor extiterit. Si autem multa facta fuerit euersio in temperatura, ac si hoc præsertim in humiditate cõtigerit, præter ea quæ diximus, contingent etiam ex putredine morbi, his qui in ipsis fuerint humoribus corruptis ac putrefactis. Expirationes autẽ maiores sunt ac ueloiores inspirationibus, & submissio arteriæ in pulsibus uelox.

Humidioris uerò & frigidioris cordis, pulsus quidem molles: moribus autem nequaquam audaces, sed timidi & segnes existũt. Tales etiam glabrum pectus habent, minimeq́ iram retinent, sicuti & ad iram non admodum sunt prompti. Quę uerò ad thoracem & uniuersum attinent corpus, distinguere oportet, sicuti ea quæ antè diximus.

Frigidius uerò cor, & siccius, pulsus quidem duriores reddit, & paruos: respira

γ tionem

tionem autem, si quidem thorax paruitatem cordis frigiditati proportionalem habuerit, moderatam: si uerò maior extiterit, raram ac tardam. Hi uerò prę omnibus minimè ad irascendum prompti: quum autem coacti fuerint irasci quibusdam, retinent iram. Habent autem maximè omniũ, nudum pilis pectus. De paruitate aũt thoracis, ac præterea totius corporis frigiditate, similiter distinguendũ. Vnum illud commune in hisce omnibus memoria repetentibus, quòd quæcunque de moribus siue nunc, siue quouis alio sermone explicata sunt, ad temperaturę cognitionem, non de optimis moribus aut uitiosis, qui ex philosophia hominibus adueniunt, sed de insitis unicuique, ac naturalibus, nos exposuisse.

Signa diagnostica hepatis intemperiei simplicis. CAP. XII.

HEpatis calidioris indicia: uenarum latitudo, flaua bilis abundantior, in consistenti uerò ętate etiam atra. calidior ipsis sanguis, atque eadem ratione corpus uniuersum, nisi obstiterit cor. His uenter & hypochondria hirsuta.

Frigidioris uerò, angustia uenarum, pituita abundantior, sanguis frigidior, & totius corporis habitus, nisi à corde calefiat. Venter illis glaber est, atque hypochondria.

Siccioris autem, sanguis quidem crassior, & minimè abundans: uenæ duriores, & totius corporis habitus siccior.

Humidioris autem, sanguis quidem abundantior, atque humidior: uenę autem molliores. Ita uerò & uniuersum corpus, nisi partes ad cor attinentes obstiterint.

Signa diagnostica hepatis intemperiei composita. CAP. XIII.

CAlidioris uerò simul ac siccioris hepatis indicia: hypochondria plurimùm hispida, sanguis crassior simul ac siccior, flaua bilis plurima est: consistente autem ætate, & atra: uenarum autem latitudo, & durities. Sic uerò & uniuersum corpus se habet. Nam quæ ex corde caliditas originem habet, potest obtundere eam quæ ab hepate nascitur frigiditatem: sicuti & frigiditas caliditatem. Siccitatem uerò non potest humidius cor ad contrarium habitum transferre. Media uerò inter has quæ dictæ sunt, ea quæ ab hepate humiditas oritur. Magis enim à cordis siccitate superatur, quàm siccitas ab humiditate: minus autem à caliditate, adhuc uerò multo minus frigiditate. Hæc enim inter omnes qualitates, quæ ab hepate eueniunt, facillimè uincitur. Liquet autem, quòd quum in unum conuenerint utriusque principij temperaturæ, totum exquisitè secundum illas afficitur corpus: paulo uerò inferius ipsius dicentur indicia.

Humidius autem, ac simul calidius hepar, minus quidem quàm calidius & siccius, hypochondria reddit hispida. Plurimum uerò sanguinis, & uenas amplas, habitum que calidiorem atque humidiorem facit, nisi obstiterit cor. Si uerò amplius in ambabus qualitatibus à naturæ modo recedat, à morbis qui ex putredine ac uitiosis humoribus fiunt, facillimè capitur. Adhuc autem magis, si plurimum augeatur humiditas, caliditas uerò non ita. Si autem contrà, parùm quidem humiditas crescat, plurimùm uerò caliditas, minimè uitiosis humoribus laborant.

Humidius autem & frigidius hepar habet hypochondria glabra, sanguinem uerò ad pituitæ naturam accedentem generat, cum uenarum angustia. sic & reliquum afficit corpus, nisi à corde ad contrariam naturam transferatur.

Frigidius autem & siccius hepar, cum pauco sanguine & uenarum angustia efficit corpus, atque frigidius, & hypochondria glabra: nisi & hic cor dominetur.

Signa diagnostica testium temperaturæ insalubris simplicis.

CAPVT XIIII.

TEmperatura uerò testiculorum calida quidem, ad Venerem procliuis, & masculorum generatrix, & fœcunda, celerrimeque genitales partes obsepit pilis, simul

mul autem & circumiacentes attingit partes: frigidior uerò, contraria efficit. Et humida quidem, multo & humido semine abundat: sicca, paucum & modicè crassum generat semen.

Signa diagnostica composita intemperiei testium. CAP. XV.

Calidior uerò ac siccior, & crassissimum semen habet, & fœcundissima est, ac celeriter ab initio protinus ad coitum excitat animal. Sed & his genitales partes citissimè hispidæ fiunt, atque omnes quæ circumstant, suprà quidem usque ad umbilicum, infrà uerò usque ad media femora. Petulca igitur est, & ad libidinem prona huiuscemodi temperatura. statim uerò satiatur: & si cogatur, offenditur.

Si autem caliditas humiditati coniungatur, hirsuti quidem tales minus, plus uerò semine abundant: non tamen plus cæteris appetunt, sed minori detrimēto prẹter modum uenereis indulgent. Quòd si satis excreuerint & caliditas & humiditas, non sine detrimento à uenereis abstinent.

Si uerò frigidiorem & humidiorem temperaturam testiculi habuerint, partes circumpositæ glabræ sunt, & tardè rem uenereàm exercere incipiunt: neque proni ad actum huiusmodi sunt. Aquosum uerò & tenue ipsis est semen, & infœcundum, & fœminarum generatiuum, uel omnino non generans.

Frigidior uerò & siccior temperatura, similis quidem in reliquis est antè dictæ: crassius uerò in ipsa semen existit, atq; omnino paucum.

Signa diagnostica insalubria habitus totius corporis in uniuersum.
CAPUT XVI.

Totius autem corporis habitus, diximus & superius, quomodo & hepatis & cordis naturam sequantur. ei autem magis assimilatur, quod unam aliquam ex primis qualitatibus potentiorem habuit, quas & effectiuas appellant. Totius uerò corporis habitus in illis maximè dicitur partibus, quæ primæ oculis subijciuntur. Sunt uerò hæ, musculi qui omnia ambiunt ossa, carnes quædam compositæ ex prima & simplici carne, & præterea fibris quibus innascuntur. Propria enim musculorum substantia his duobus constat: quæ uerò ad ipsos uasa pertingunt, ueluti riui quidam sunt, qui non substantiam complent, sed eis subministrāt, ut in uita permaneant. Dicentur igitur & horum temperaturæ indicia in bene tēperata habitatione. Nam quẹ malẹ temperatẹ sunt, cutem permutāt ex seipsis formantes, & quædā ex indicijs corrumpunt. Ita & in bene temperata regione, si quis se tempore ẹstatis nudum soli exposuerit, permutabit indicia quẹ ex colore & duritie & mollitie sumuntur. Si uerò, quemadmodum bonam temperiem obtinet locus, ita & ipse bene temperato uictu usus fuerit, ut qui neq; se nudum singulis diebus in sole plurimùm torrefaciat, neq; sicuti plerique more puellarum continuè in umbra degat, hic certa atq; exquisita temperaturẹ indicia prẹ se feret. Tanquam igitur de hoc futuro sermone, nunc ad ipsum accedemus.

Moderatæ temperaturẹ indicia, secundum totum animalis habitum: color quidem ex rubro & albo commixtus, capilli uerò flaui, & ut plurimùm mediocriter crispi: carnositatis autem mediocritas in qualitate & quantitate. Medium est enim exquisitè huiuscemodi corpus inter omnes excessus, ut qui ad ipsum dicantur & cognoscantur. Nam & crassum corpus, ad hoc comparatum dicitur crassum: & tenue, ad hoc: eodem modo & carnosum, & macilentum, & pingue, & durum, & molle, & hispidum, & glabrum. Nullum igitur horum, corpus est mediocritatem habens: sed qualis Polycleti regula ad summum totius peruenit mediocritatis, adeò ut neque tangentibus molle uideatur, neque durum, neque frigidum: inspicientibus uerò neque hirsutum, neque glabrum, neque crassum, neque tenue, aut aliquem alium habens excessum, uel defectum.

Signa diagnostica intemperiei simplicis totius. CAP. XVII.

QVæcunque autem in caliditate à medio recedunt, non tamen in humiditate uel siccitate: hæc, quantum ad carnosum genus attinent (de hoc enim præsens est sermo) uidentur quidem tangentibus calidiora tantum, quantum & eorum temperatura calidior: tanto uerò magis hirsuta sunt, quanto & calidiora & minus pinguedinis habent. Colorem autem rubrum, & capillos nigros habent.

Frigidioris autem temperaturæ indicia sunt: pilorum carentia, pinguedo, & frigiditas quæ tangentibus obuiat. Color autem unà cum capillis ruffus, & ubi frigiditas excesserit, liuidus quodammodo existit, quem nonnulli medici colorem plumbeum appellant.

Siccior autem temperatura tanto gracilior est, & durior bona temperatura, quanto maior est siccitas. In reliquis autem eodem modo se habet.

Et humidior etiam in reliquis quidem eodem modo se habet: melius autem carnosa, & mollior. Et quidem secundum coniugationem qualitatum primarum factæ intemperaturæ, compositam habent indiciorum formam.

Signa diagnostica intemperiei composita totius. CAP. XVIII.

CAlidior simul ac siccior est hirsuta magis, ac calida & dura existit, & pinguedine caret, tenuisque est, & capillos nigros habet. Si uerò multum in caliditate excedat, color quoque niger illi adest.

Calidior autem & humidior temperatura mollior, & calidior, & carnosior tanto est bona temperatura, quantum & utrisque qualitatibus aucta fuerit. Quòd si plurimùm augeatur, citò similiter à putredinis corripitur morbis: quoniam & humorum uitio promptè laborat. Si uerò parum quidem humidior sit, multo uerò calidior, molliores quidem parum huiuscemodi sunt his qui bonam habent temperaturam, & magis carnosi: non parum uerò hirsutiores, & tangentibus non parum calidiores. Nigri uerò eis capilli, & caro pinguedine caret. Si uerò paulo quidem calidior, multo uerò humidior, mollis his caro est, & multa, & color commixtus ex albo & rubro, & tangentibus paulo calidiores. Et, ut summatim dicatur, omnibus temperaturæ coniugationibus semper superexcedentis qualitatis indicia eminebunt.

Frigidior autem atque humidior temperatura, si parum quidem utraque augeatur, capillis nuda est, & alba, & mollis, & crassa, & pinguis. Si uerò magis excesserit, reliqua quidem sunt secundum proportionem augmenti qualitatum, color autem unà cum capillis ruffus: quemadmodum si plurimùm utraque augeatur, liuidus. Si uerò qualitatum augmentum fuerit inæquale, eius quæ superexcesserit indicia eminebunt.

Si autem frigiditas unà cum siccitate æqualiter augeatur, naturâ durum ac tenue & glabrum corpus habent, & tangentibus frigidum: pinguedo tamen ipsis, & si graciles sint, per carnes dispersa. Capilli autem & color, frigiditatis modum ac proportionem sequuntur. Vbi uerò calida & sicca temperatura in tempore decrementi, in frigidum & siccum labitur habitum: tunc hi graciles fiunt, & duri, atque atra bilis in eis dominatur, & ob id nigri simul & hirsuti euadunt. Vbi igitur altera qualitas plurimùm dominatur, altera uerò parum à mediocritate recedit: superabunt eius quæ dominatur, exilia autem erunt alterius qualitatis indicia. In omnibus uerò de quibus suprà diximus, & postea dicemus, commune est temperaturæ indicium, si membrum facilè frigefit, uel frigiditatis, uel raritatis: si uerò non facilè, uel caliditatis, uel densitatis. Si uerò à desiccantibus offendatur, & aridum & siccum, & non facilè mobile fiat, siccitatis: quemadmodum & si ab humectantibus grauiter se habeat, humiditatis. Inspicere autem oportet, si

eandem omnes musculi seruant temperaturam, uel minimè eandem: atque in omnibus animaduertere subiectorum ossium quantitatem. Nonnunquam enim gracile uidetur membrum, quum tamen non sit gracile, quòd ad musculos attinet: sed propter ossium tenuitatem tale uidetur. Sic & crassius quibusdam plerunque apparet non ob ossium amplitudinem, sed ob multitudinem carnis, quæ uel aucta uel imminuta, uel durior aut mollior effecta, siccius aut humidius membrum ostendit. Pauca igitur ac dura, siccius: multa autem & mollis, humidius. Sic & intermedia spacia similarium corporum, ut plus uel minus humidę substantiæ in se ipsis continent, uel crassius, uel tenuius, uel humidius, uel siccius membrum ostendunt: humidius quidem, ubi subtilior & plurima est humiditas: siccius uerò, ubi crassior simul & minor. Ipsæ enim solidæ corporis partes, quæ uerè solidæ sunt, ac primæ, nullo modo possunt effici humidiores. At satis est, si quis eas celerius exiccari prohibeat. Intercepta autem in ipsis spacia hac uel illa humiditate complere, possibile. Hoc uerò est proprium partium similarium alimentum, quod ex appositione fit, & non per uasa attrahitur. Communis autem hæc ratio & omnium partium existit: & iterum in salubrium atq; insalubrium causarũ doctrina repetetur. Nunc autem ea quæ ordine sequuntur, attingamus.

Signa diagnostica intemperiei simplicis uentriculi. CAP. XIX.

VEntriculi indicia, eius quidem qui natura siccior existit: si celeriter sitibundi fiant, & paucus eis sufficiat potus: à plurimo autem aggrauentur, fluctuationibus infestentur: aut superfluitet id quod abundat, & cibis delectantur siccioribus.

Humidioris autem, si neque sitibundi fiant, & superabundans humidum facilè tolerent, & cibis gaudeant humidioribus.

Calidior uerò naturâ uentriculus, melius quidem concoquit quàm appetat, & multo magis quæcunque dura sunt: & non facilè alterationem suscipiunt. Nam quæ facilè alterantur, in ipso corrumpuntur, gaudetq; calidis potibus ac cibis: neque à frigidis ullam percipit noxam, si modicè ipsis utatur.

Frigidus uerò naturâ uentriculus ad appetendum quidem plurimùm uiget, ad concoquendum autem minimè, tales præsertim cibos qui frigidi sunt, & non facilè alterationem suscipiunt. Citò itaque in ipso acescunt, atque ideo acidis eructationibus talis uentriculus plurimùm abundat: & gaudet quidem frigidis, sed ab eorum usu immodico offenditur. Ita & ea quæ extrinsecus frigida occursant, nequit longiori tempore tolerare: quemadmodum neque calidus calida. Malæ uerò temperaturæ, quæ morbi ratione uentriculum occupant, hoc differunt ab his quæ naturales existunt: quoniam contraria, non autẽ similia appetunt, quemadmodum naturales.

Signa diagnostica intemperiei compositæ uentriculi. CAP. XX.

MAlæ autem temperaturæ in uentriculo coniugatæ, ex compositione simplicium cognoscuntur. Oportet autem eas quæ iam sunt dictæ, diligenter aduertere, easdem ab his quæ dicentur distinguentes. Non solùm enim uentriculus sitibundos & minimè sitientes facit, & frigidi calidi'ue potus appetentes: sed ea quoque uiscera quæ in thorace sunt, ut cor & pulmo. Sed qui ob horum sitiunt caliditatem, plus inspirant, & longius expirant, atque æstum in thorace sentiunt, nõ sicuti qui uẽtriculi ratione in hypochondrijs caliditatem patiuntur: & quum potauerint, non statim sedatur sitis: & magis, quum frigidum hauserint, quàm quum calidum nimis. Refrigerat autem eosdem & frigidi aeris inspiratio: quæ nihil eos iuuat, qui uentriculi ratione sunt sitibundi. Ita & hi qui cõtrario modo se habent, à frigida inspiratione sensibilem sentiunt effectum.

Signa diagnostica intemperati pulmonis. CAP. XXI.

ET hoc maximum sit frigidi pulmonis indicium. Vti uerò frigidum inſpirantes manifeſtè dolorem ſentiunt, & frigiditatem: ita & caliditas eſt ipſis amica, ſed & pituitæ excrementa cum ſcreatu & tuſsi expuunt.

Pulmonis autem ſiccitates excrementis uacant, & pituita, & uocem claram efficiunt: quemadmodum humiditates obſcuram reddunt, ac raucam. Et quum uehementius aut acutius loqui ſtuduerint, tunc intercidunt excrementa.

Non tamen ipſa uocis magnitudo à caliditate, ſicuti neque paruitas à frigiditate fit: ſed altera quidem aſperæ arteriæ latitudinem ſequitur, & uehementiorem efflatum: paruitas uerò à contrarijs aduenit cauſis. Quare neque ſemper, neque primùm, ſed ex accidenti, & ſolas naturales temperaturas, non autem aduenticias uocis magnitudo aut paruitas ſequitur. Quoniam etenim talia inſtrumenta temperaturæ ratione ſunt facta, ad hæc autẽ conſequitur huiuſmodi uox: idcirco contingit, ex uoce de naturali temperatura ratiocinari.

Nam & lenis uox arteriæ lenitatem conſequitur, ſicuti & aſpera aſperitatem. Lenitas igitur arteriæ moderatam ſequitur temperaturam, aſperitas uerò ſiccitatem. Aſperitas etenim fit ab inæqualitate duri corporis. Arteriam uerò duram ſimilarium partium, ex quibus conſtat, ſiccitas efficit: inæqualem uerò, diſperſæ in eiſdem humiditatis defectus.

Eodem modo neque acuta naturâ uox ſine anguſtia faucium, neque grauis ſine latitudine fieri poteſt. Anguſtia igitur ab inſita atque innata naſcitur frigiditate, latitudo autem à caliditate. Differentijs igitur naturalium uocum hæ quæ ex affectu aliquo fiunt, ſunt proportionales: quæ & ipſæ indicia ſunt cauſarum à quibus oriuntur, de quibus in libris De uoce ſufficienter diſtinxi. Reliquæ uerò partes animalis interiores exilia habent temperaturæ indicia. Tentandum tamen ea ex iuuantibus atque nocentibus agnoſcere, ac prӕterea naturalium potentiarum operationes. Dictum uerò eſt in tertio De cauſis accidentium, quòd cuiuſque potentiæ uirtus & uitium, temperatura principalis exiſtat. Temperaturarum itaque indicia iam explanauimus.

Signa diagnoſtica inſalubrium corporum ratione compoſitionis.
CAPVT XXII.

CIrca magnitudinem uerò, uel formationem, uel numerum, uel ſitum, quæcunque quidem ſenſibus ſubijciuntur errata, cognitu facillima ſunt: quæ autem ſenſu percipi nequeunt, quædam cognitionem habent difficilem, quædam uerò facilem. Capitis igitur magnitudo ac figura, & cerebri ſimul, in propatulo ſunt: & de his antea diximus. Sic & quæ thoracis ſunt, & quӕcunque ad ſcapulas & humeros, uel brachia, uel cubitos, uel extremas manus, uel coxendices, uel femora, uel tibias, uel pedes attinent, non eſt difficile cognoſcere, ſiue ſecundum formationem, ſiue ſecundum magnitudinem ex his aliquid non rectè ſe habeat: ſiue ſecundum numerum, uel partium, ex quibus conſtant, compoſituram ſingularum, etiam operationis detrimenta facilè patent. Quæ autem intra corpus ſunt, non omnia poſſunt agnoſci.

Cuiuſdam enim uentriculum adeò paruum, ac rotundum, ac pronum ſecundũ hypochondria ſitum habentem inſpexi, ut manifeſtè ex circumſcriptione propria & uidentibus & tangentibus appareret.

Sic & cuiuſdam ueſicam cõtigit intueri, ita expoſitam ac paruam, ut ſi quando urinam tardius excerneret, tumor quidam circumſcriptus manifeſtè cerneretur: non tamen aliud ex interioribus quicquam mihi unquam manifeſtum præbuit indicium. Tentare autem oportet, quàm maximè fieri poteſt, uirtutem ipſorum ac ui-

ac uitium, & si non certissima scientia, artificiosa saltem coniectura comprehendere: ueluti, exempli gratia, in hepate.

Vidi enim aliquos, & quidem quàm plures, quibus uenæ erant angustæ, & totum corpus colore priuatum. Quòd si plusculum cibi assumpsissent, qui præsertim flatibus excitandis aptus esset, & crassus ac tenax, nonnulli quidem ueluti pondus quodam insidens, atque suspensum in profundo dextræ hypochondriorum partis sentiebant. Nonnulli uerò cum quadam tentione dolorem sentientes. In his quidem uerisimile est hepar esse paruum, atque angustos meatus habere.

Alterum uidi, cuius totus habitus pituitã præ se ferebat, quotidie tamen bilem pallidam euomebat. Censui igitur inspicienda alui excrementa, in quibus minimum bilis apparebat. Quare coniectura quadam comprehendi, eum meatum qui biliosum egurgitat humorem, non minimam eiusdem partem ad imum uentriculi locum, quem Græci Pyloron, id est ostiarium uocant, effundere: ut in quibusdam apparet animalibus, ex quibus id constat, quòd plurimum ad eorum quę latent sensum confert cognitionẽ, ea quę ex sectionis inspectione habetur peritia, & operationum atque utilitatum inuentio. Quicunque igitur facultatem dignoscendi huiuscemodi corpora quæ ita lapsa sunt consequi cupit, oportet ipsum in sectionibus, ac in operationum atque utilitatum inuentionibus exercitari. Scripsimus uerò de omnibus seorsum in tractatibus aliis, de quibus in fine libri omnino proposuimus facere mentionem, ut discendi cupidi intelligant quæcunque discere optauerint, ex quonam possint haurire tractatu. Sed tamen de hisce satis.

Signa diagnostica corporum ægrorum in uniuersum. CAP. XXIII.

QVæcunque uerò ut nunc insalubria sunt, hoc est quæ iam ægritudinem patiuntur, dignoscere & hæc ipsa oportet. Quæ quidem subiiciuntur sensui, ex eorum quæ ipsis insunt secundum naturam permutatione, in magnitudine, colore, figura, & numero, & situ: & ea quæ est secundum duritiem & mollitiem, & frigiditatem, & caliditatem, differentia. Quæ autem uisum effugiunt, ut summatim dicam, ex operationum læsionibus, aut his quæ excernuntur, aut doloribus, aut tumoribus præter naturam, aut horum quibusdam, uel omnibus.

Signa diagnostica cerebri ægri. CAP. XXIIII.

PArticulatim autem quæ quidem sunt in cerebro ægræ dispositiones, aut desipientiæ speciebus, aut sensuum, aut imaginationum læsionibus, aut actuum qui secundum electionem fiunt, aut ex his quæ excernuntur per palatum, uel nares uel aures, aut horum qui ei dolores eueniunt differentiis.

Signa diagnostica cordis ægri. CAP. XXV.

QVæ uerò in corde fiunt, ex difficilis anhelitus speciebus, & tremulis motibus qui ipsi contingunt, ex pulsibus quoque eius atque arterarium, & ab excandescentis iræ celeritate aut tarditate, à febribus, & refrigerationibus, & in colore differentiis, ac eis qui ipsi adueniunt doloribus.

Signa diagnostica hepatis ægri. CAP. XXVI.

QVæ autem in hepate ex defectu humorum atque abundantia, & ad id quod præter naturam euersione, & colore malo, ac præterea ex permutatione naturæ in his quæ ad alimenti diductionem, aut superfluitatum attinent excretionem. Sed & ex grauitatibus, & tumoribus, & doloribus non modò his qui in eo ortum habent, uerùm & in illis qui compatiendi ratione proueniunt, quemadmodum in aliqua uel spiritus grauis uel tussis specie.

Signa diagnostica uentriculi ægri. CAP. XXVII.

SIc & uentriculi affectus agnoſcitur, ubi in concoctione & appetitu humidi uel ſicci alimenti, uel ſuperfluitatum excretione delinquitur. Ita etiã ex ſingultibus, eructationibus, nauſeis, uomitibus, & ipſis eorum quæ euomuntur ſpeciebus.

Signa diagnostica thoracis ægri. CAP. XXVIII.

ITa & thoracis agnoſcuntur affectus, ex ſpirandi difficultatibus, tuſsibus & doloribus, qui in ipſo fiunt: & ex eorum quæ cum tuſsi expuuntur, differentia. Sic & aſperæ arteriæ ægritudines, difficiles anhelitus, & tuſſes, & dolor in loco, & quæ expuuntur, & uocis offenſiones oſtendunt.

Corollarium, pro declaratione ſignorum ægrorum. CAP. XXIX.

SEcundum uerò eandem proportionem & in alijs omnibus accidit partibus. Nam ex tumore, dolore, & operationum læſione, & excrementorũ differentia ſumentur indicia. Excreſcentiæ autẽ non naturales, in inflammationibus, duriſq; ac laxis tumoribus, & eryſipelatis ſunt explorandæ. Dolor autem quemcunq; obſederit locum, aut continuitatis ſolutionem, aut ſubitam alterationem oſtendit. Soluitur autem continuitas, inciſione, exeſione, fractione, & tentione. Alteratur uerò ſubſtantia à caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate. Læditur autem operatio tripliciter: aut quia debiliter, aut quia uitioſè, aut quia nullo modo fit.

Quæcunque autem excernuntur, nonnulla quidem ſunt ueluti partes patientium locorum, nonnulla uerò tanquam excrementa. Quæ uerò in ipſis naturaliter continentur, ſingula propriam facient iudicationem. Dictum eſt autem de hiſce omnibus plenius in tractatu De membris paſsis, quem nullus ante nos aut in artem redegit, aut ad abſolutam perfectionem deduxit: quemadmodum & in omnibus alijs euenit, quibus initiũ quidem aliquod ab antiquis eſt datum, non tamen abſolutum eſt opus. Aegrotantium itaque corporum ex tractatu illo indicia ſunt ſumenda. Eorum autem qui in ægritudinem lapſuri ſunt, & qui ſanitati reſtituendi, præſens doctrina complectitur.

De ſignis neutris tam diagnoſticis quàm prognoſticis. CAP. XXX.

EOrum igitur indicia quibus ægritudinis periculũ imminet, mediam formam habent inter ea quæ ſanis, & quæ ægrotantibus eueniunt. Siquidem ſanis omnia ſecundum naturam inſunt: præter naturam uerò ægrotantibus, quatenus ægrotant. In confinio autem horum, ea quæ ſunt corporum neutrorum indicia: quorum nonnulla quidem ſunt ex eorum genere quæ ſecundum naturam, ſed uel qualitatibus, uel quantitatibus, uel temporibus permutata. Quædam autem ex his quæ præter naturam, & minora his quæ ægritudinibus adſunt. Atque idcirco hæ quidem corporum diſpoſitiones, quæ in ægritudinem caſura monſtraui, ſunt ex neutrorum genere, atque unà ea quæ ipſa indicant ſigna. Primò enim hæc ſanitatẽ oſtendunt, ſecundò autem ęgritudinem. Et fiunt eadem ſingula ſecũdum ad aliquid habitudinem, neutra & inſalubria: quæ quidem pręſentem diſpoſitionem oſtendant, neutra: quæ uerò futuram pręmonſtrent, inſalubria. Eâdem uerò ratione, & quæcunq; ægrotantibus ſigna ſalutaria apparent, dicentur quidem ſalubria, quia futuram ſanitatem oſtendunt: dicentur etiam ægra, quatenus præſentẽ oſtendunt ęgritudinem. Neque in ambiguo eſt, quòd quę ſunt utrorũq; indicatiua, neutra dicentur, ſecundum unum quoddam neutri uocabuli ſignificatũ. Neq; uerò mirari oportet, eadem ſigna tres in diuerſis habitudinibus ſeruare rationes, quæ & ſalubria, & ægra, & neutra dicãtur: ſecundum uerò alterum ſignificatum, quæcunque his qui à morbo referuntur inſunt, ſigna neutra appellamus, neque in alio ſignificato accipiunt ea quæ ſenibus inſunt. Hæc quidem omnia pluribus & conceptibus & rationibus ſubijciuntur, quæcunq; uerò in his qui integra ſa-

tegra sanitate fruuntur, inter salubria tantummodo computantur. Et quæcunque ægritudinibus insunt, neque futuram prænunciant sanitatem, soli & hæc ægrorũ conceptui subijciuntur. Sed de his quidem postea dicetur: nunc quæ futuram præmonstrant ægritudinem, prius exequamur. Quum uerò sit eorum differentia duplex, prius ea pertractemus, quæ quantitatibus, uel qualitatibus, uel temporibus, non autem proprijs speciebus, ab eo quod secundum naturam euariant, uelu ti ciborum appetentia intenta, uel dissoluta, aut quæ non seruet tempus consuetum, aut quę ad edulia non usitata feratur, aut ad excretiones cibi superfluitatum, quæ aut pauciores, aut plures, aut humidiores, aut duriores existant. Sic humidiorum excrementorum uel defectus uel superabundantia, præter consuetudinem naturalem, aut in colore, aut in consistentia uarietas aliqua, aut in tempore excretionis, & uigiliæ plures, ac somnus, aut non consueto tempore. Eodem modo potus pluris aut paucioris, calidi aut frigidi insolens appetitus: sicuti & circa rerum uenerearum usum immodica aut intempestiua concupiscentia, & plures aut pauciores sudores his qui sint opportuni, & ad motus torpor, aut si moueri tentauerint grauitas, aut uehemens exolutio, menstruorum occultatio, uel immodica aut diminuta euacuatio. Sic & quæ per ora uenarum (Græci hæmorrhoidas appellant) fit sanguinis effusio. Sed non eadem quæ prius in cibo potuq́ue uoluptas, sunt futuræ indicia ęgritudinis, hebetudo'que animi nõ naturalis, aut obliuio quædam inconsueta, aut somni qui pluribus imaginationibus abundant, quàm prius: auditus, & odoratus, uisusue hebetiores aut turbulentiores, & (ut simpliciter dicam) quæcunq; secundum naturam inerant, hæc quidem augmentata, hæc uerò comminuta, hęc uerò temporibus quibusdam aut qualitatibus immutata. Siquidem & ipsius corporis moles aut maior, aut minor, aut magis alba, aut magis rubra, quemadmodum liuidior, aut nigrior, ructusq; ac sternutamenta, & flatus plures aut pauciores his qui secundum naturam: sic & quæcunque per nares, uel palatum, uel aures, per quos meatus cerebrum expurgatur, uel temporibus, uel quantitatibus, uel qualitatibus immutata. Hæc igitur omnia ex genere eorum sunt quæ secundum naturam. Morsus autem uentris, uel in ore uētriculi, uel in aliquo intestinorum, aut quum aluus subducitur, aut quum uomitus excitatur, aut cùm mingitur, siue aliquis alius dolor mediocris ex genere quidem existit eorum quę præter naturam, non tamen qui ita se habent ęgrotare dicuntur: sicuti neque qui capite grauantur, aut dolent, aut uigilant, quũ nondum in consuetis impediuntur operationibus. Hic enim in huiuscemodi dispositionib. terminus est. Atq; idcirco in eo quod ad aliquid, eandem dispositionem ægram atq; neutram appellabimus. Nam pro uigore potentiæ, quæ uel facilè substinet, uel uincit, unaquæq; ex his quas antea diximus, uel morbus est, uel neutra dispositio: sic & quęcunq; in sensibus, non in eo quod magis aut minus inuicem differunt, sed toto genere sunt præter naturam. Et hæc sunt signa morborum donec modica fuerint, & nondum hominem à consuetis operibus sufficiunt amouere. Talia uerò sunt in gustu quidem, quum uel salsæ, uel amarę, uel alicuius alterius qualitatis sapor nobis indicatur, siue in omnibus qui bibuntur, aut manducantur, aut præter quod aliquid assumatur, saliua ipsa talis sentiatur. In odoratu aũt, quãdo alicuius unius qualitatis sensum habemus nullo odore præsente, aut quum plura differẽtia naribus admouemus, omnia ueluti similia sentimus. Sæpius uerò nihil sentimus, aut aliquid foetens, etiam si nihil adsit quod foeteat. Quantum uerò ad auditũ, soni & strepitus ad id quod præter naturam pertinent. Quemadmodũ in uisu quæcunque ante oculos apparere credunt nigra, & atra, & cærulea, & ruffa, & flaua, & nõnulla rotũda, nõnulla aũt oblonga, quędã gracilia, quędã crassa, oculis prętendi uidentur.

In sensu

In sensu autem tactus cum inæqualitas aliqua, uel spissitudo, uel grauitas, uel tentio, uel torpida uel hulcerosa dispositio in toto corporis habitu sentitur: sic & in singulis partibus uel tentio, uel compressio, uel morsus, uel grauitas, quando modicæ fuerint ac minimè firmæ, neutram quidem dispositionem adesse demonstrant, futuram uerò ægritudinem prænunciant.

Signa prognostica euentus morbi in corpore ægro. CAP. XXXI.

AT quæ iam in ægrotantibus signa uidentur, ex quibus nonnulla salutem, nõnulla mortem portendunt: prima quidem salubria, altera uerò genere quidem ægra, secundum speciem autem perniciosa dicuntur. Sumuntur autẽ, ut uniuersaliter dicamus, ex operationum uirtute ac uitijs. Secundum partem uerò ex particularium operationibus, quarum genera antea diximus. Primum quidem, eorum quæ principia existunt: secundum uerò, illorum quæ à principijs ortum habent: & tertium, eorum quæ ex seipsis gubernantur, à principijs autem quasdam deriuationes habent. Quartum siquidem genus eorum quæ tunc diximus, ex se quidem ad aliquid prænoscendum inutile est: secundum accidens aũt, & ex his aliquando præcognitiones erunt, quemadmodum & ex excrementis: ex his quidem cõpatiendi ratione, ex excrementis autem semper, quoniam coctionis & incoctionis signa continent. Quare fieri non potest, quin omnino significent aut naturam materiei, aut materiam naturæ, aut neutrum neutro dominari. Salubria quidem signa dicentur, natura superante: insalubria uerò, superata. Neutra autem, quæ pugnas habent æquales. Sed quæ quidem manifestam indicant coctionem, ex salubribus sunt: sicuti quæ cruditatem, ægra. Quæ uerò neque coctionem, neque cruditatem manifestè ostendunt, ex neutrorum sunt natura. Sunt uerò & neutra, quæcunque nunc quidem hoc, nunc uerò contrarium significant, ueluti digiti denigrati. Talia sunt & critica, id est decretoria accidentia, de quibus omnibus in libris De crisi dictum est: sicuti etiam de his quæ ad unamquanque attinent operationem, in his libris in quibus de causis accidentium agitur. Quare omnium horum singulorum materiam ex eisdem libris colligere oportet. Ego uerò prolixitati parcẽs, hic sermoni de signis finem faciam, transgrediar autem ad illum qui de causis.

De causis in uniuersum. CAPVT XXXII.

QVoniam uerò & harum hæ quidem salubres, hæ autem insalubres, hæ uerò neutræ: primùm de causis salubribus erit sermo. Quia uerò & nonnullæ quidem conseruatrices, nonnullæ uerò effectrices, sunt autem & tempore & dignitate priores conseruatrices: incipiendum est à conseruatricibus. Quum igitur non unum tantum sit sanum corpus, sed plura, ut suprà definiuimus, in eorum singulis propria erit causa cõseruatrix. Siquidem omnis causa in eo quod ad aliquid, existit. Hic igitur denuò sumendum initium ab optima corporis constitutione, ac quæ ei salubria sint considerandum. Eorum autem inuentionem ipsius rei natura insinuat. Si enim impatibile atque inalterabile esset corpus, semper optima constitutio perduraret, neque artis præsidio indigeret. Quoniam uerò alteratur, corrumpitur & uertitur, neque eundem seruat prioris status tenorem, ea ratione auxilium desiderat.

Secundum quot igitur alteratur modos, tot auxiliorum, hoc est causarũ conseruatricum genera habebit: quas, ex his quæ dicta sunt, liquet esse ex correctiuarum genere. Sed quia paulatim correctiones faciunt antequam omnis ingruat noxa, non præseruantes à futuro malo, sed præsentis status Cõseruatrices medici appellant. Alteratur igitur corpus à nonnullis quidem necessariò, à quibusdam uerò non necessariò. Dico autem necessariò, quæ nulla est euitandi

ratio:

ratio: non necessariò autem, reliqua. Nam aerem quidem nos ambientem semper attingere, comedereq́ ac bibere, & uigilare & dormire est necessariū: ensibus autē & exitialibus feris obuiare, non necessarium. Quare circa primum causarum genus uersatur ars corporis conseruatrix, circa secundum autem minimè. Quot igitur numero sint ea quæ ex necessitate corpus alterant distinguentes, proprium in singulis eorum causarum salubrium genus inueniemus. Inest igitur unū quidem ex ambientis aeris adhæsu: alterum uerò ex metu & quiete & totius corporis, & partiū singularū: tertiū ex somno & uigilia: quartū ex his quæ assumuntur: quintum ex his quę excernuntur, & retinentur: sextum ex animæ affectibus. Ex his necesse est aliquo modo affici corpus. Ab aere quidem ambiente: quia aut calefit, aut frigefit, aut exiccatur, aut humectatur, uel secundum horum patitur coniugationem, aut in tota alteratur substantia. Ex motu uerò & quiete, quum utraq́ modum excesserint, aut calefactum, aut refrigeratum, aut humectatū, aut exiccatum, uel aliquid secundum horum patiens coniugationem. Sic & ex somno & uigilia ipsum pati est necessarium, secundum eandem rationem: & ex animæ affectibus, & ex his quæ assumuntur, aut excernuntur, aut retinentur. Hæc siquidem omnia partim quidem euidenter, partim uerò per alias causas medias alterant corpus, & sanitatem corrumpunt: & de horum singulis seorsum scripsimus in tractatu qui De salubribus inscribitur. Omnia igitur nunc dicta genera, materiæ quædam sunt salubrium causarum: at usu opportuno adhibito, causæ fiunt conseruatrices atq́ salubres: sed ubi à modo deliquerint, insalubres reddūtur. Vnde etiam liquet ex his, nullam harum rerum exteriorum aut salubrem, aut insalubrem à nobis existimari oportere: at easdem potius quādoq́ quidem salubres, quādoq́ uerò insalubres, in eo quod ad aliquid, esse. Nam ubi motū corpus desiderat, exercitatio quidem salubris, ocium autem insalubre: quum uerò eget quiete, ocium quidem salubre, exercitatio autem insalubris. Eodem modo de cibis & potibus, & de alijs omnibus statuendum. horum enim singula, quando, ut necessitas corporis exigit, cum mensura ac qualitate opportuna adhibentur, salubria fiunt: at quum citra omnem necessitatem ac præter modum afferuntur, insalubria. Atq́ hæ duæ sunt circa salubre & insalubre intentiones, rei scilicet, quæ adhibetur, qualitas ac quantitas. Neque enim est rationi cōsentaneum, etiam temporis occasionem, quæ in his quæ dicta sunt continetur, ueluti tertium aliquod ab eisdem diuersum introducere. Si enim tali & tanta re allata egeat corpus, nemini dubium, quin etiam in tempore opportuno afferatur. Siquidem temporis inde ortum habet, quoniā fluxibile ac facile mutabile est mortale corpus, ac pro transmutationis modo alijs alio tempore eget auxilijs. Quare non est tertium aliquod, pręter ea quæ dicta sunt, tempus. Sæpius autem eo tanquam tertio quodam, ob eam, quam diximus, causam, ad docendum uti consueuimus.

Causæ conseruantes optimam constitutionem. CAP. XXXIII.

QVoniam uerò in his ipsis intentionibus, & aliæ causæ salubres, & id quod propositum est genus continetur, rursus easdem repetamus. Optimæ igitur corporis constitutioni quum circumfusus aer fuerit in temperie positus, earum rerum de quibus nuper diximus, quietis scilicet ac motus, somni, uigiliæ, & eorum quæ assumuntur, atque excernuntur, quantitas moderata conueniet. Quum uerò aer à temperie recesserit, tantum à mediocritate euariare oportet, quantus fuerit ab optima temperatura recessus. Hi uerò sunt mediocritatis termini: in aere quidem ambiente, ut neq́ horreat propter frigus, neque sudet propter æstum: in exercitijs autem, quum primùm lassari cœperit corpus, confestim quiescere: in cibis autem, coctionis perfectio, & excrementorū modus, in quali quantoq́ conueniens:

ueniens: ęqualis uerò in his quodã modo est coctioni, appetitus. Quare neq; pręfi degent, qui singulorũ quę assumuntur quantitatẽ metiatur. Optima siquidẽ natura quantũ appetit, tantum etiã concoquit. Sic & somno modum ipsa natura pręfinit his, qui optimã corporis constitutionẽ sunt sortiti. & tunc à somno excitantur, quum corpus ampliori quiete non eget. Quumq; talem uictus rationẽ adhibuerint, nullum est in eorum excrementis delictum, quæ uel per uentrem, uel per urinæ meatus, uel per totum corpus egeruntur. Nam priora quidem ex modo eorum quæ assumuntur, temperantur. Totum uerò corpus salubriter perflari facit exercitij usus moderatus. Liquet autem ab ipsis caueri oportere, omnes animi immodicos affectus, uidelicet iræ, tristitiæ, furoris, timoris, inuidiæ. Hæc enim alterant, atque à naturali statu corpus auertunt.

Venereorum uerò, iuxta Epicuri sententiam, nullus est usus salubris: reuera autem confert, si tantum interualli in eorum usu adhibeatur, ut neque resolutio aliqua sentiatur, & ipse seipso homo quodammodo leuior factus, ac melius spirare uideatur. Tempus uerò ad utendum opportunum, quum omnium in rerum circunstantium exquisita mediocritate corpus fuerit constitutum: quum scilicet neque supra modum plenum, neque uacuum extiterit: aut in colore, aut frigore, aut siccitate, aut humiditate excesserit corpus. Quòd si aberrare contigerit, paruus sit error. Melius autem illi calefacto magis quàm infrigidato, & pleno quàm uacuo, & humecto potius corpore quàm exiccato, uti uenereis. Horum autem singulorum quæ dicta sunt, qualitas ipsa corporis cõstitutione est eligenda. Exercitij quidem in quo totius corporis partes æqua proportione mouentur ita, ut non aliæ quidem ultra modum fatigentur, aliæ uerò citra. Cibi autem & potus optimã habeant temperiem. Sunt enim naturæ conuenientiores, quę optima fuerint prædita temperatura. Eadem in reliquis etiam est ratio adhibenda.

Causæ conseruantes constitutionem, deflectentem ab optima per solam intemperiem. CAP. XXXIIII.

AT si quod ab optima constitutione defecerit corpus, non autẽ uehementer, & hæ quæ ipsius sanitatem causæ conseruant, ad proportionem mutabuntur. Sed quum multa sint huiuscemodi corpora, per singula genera seorsum dicendum. Quod igitur in temperatura euariat, instrumentariarum autem partium seruat commensurationem, duplicem habet salubrium causarum formam: alterã quidẽ earum quę ipsius conseruant temperaturã, alterã uerò eam quæ ad optimã trãsferunt. Quæ ita ipsius temperaturã conseruant, tantum à causis optimè temperatę naturæ distabunt, quantũ & totius corporis tẽperatura ab illa euariabit. Calidiora siquidẽ corpora calidioris uictus rationẽ exposcunt: frigidiora aũt frigidioris, & icciora siccioris, & humidiora humidioris, ac secundum coniugationem calidiora ac sicciora calidioris ac siccioris: eàdem in reliquis etiam coniugationibus proportione seruata. Rectè siquidem causarum utetur materia, qui naturales earum potentias agnouerit. Veluti quod motus, defectus alimenti, uigiliæ, excretio, & omnes animi affectus corpus exiccant: at quæ his contraria existunt, humectant. Ita uerò & calefacientia & refrigerantia uitæ instituta, & ciborum ac potuum. Atq;, ut simpliciter dicam, omnium quæ corpori afferuntur materias quis noscens, atq; potentias, salubribus utetur causis, similia similibus afferendo: siquidem eius propositum fuerit, eandem in qua acceperit corporis seruare temperaturã. Quòd si permutare atq; ad melius traducere statuerit, alterum est hic salubrium causarum genus, his quidem quas nuper diximus contrarium: æqualiter uerò declinans ad alteram partem à bene temperatis & medijs, quæ optimis conuenire naturis dicebamus. Calidior siquidẽ ac siccior temperatura, à calidioris

ris ac ſiccioris uictus ratione ad exactiſsimum bonæ temperaturæ habitum minimè transfertur. At talium, erit uſus neceſſarius, quæ tantum eis quę bene temperata exiſtunt, frigidiora ſint, atq; humidiora, quãtum & natura naturam in caliditate & ſiccitate ſuperabat. Nam tale cauſarum genus naturales corrigit intemperantias: alterum uerò, de quo ſuprà diximus, temperaturam conſeruat. Eſt autem utriuſq; uiciſsim apud medicos uſus neceſſarius. Nam quum plurimum ſuppetit ocij, corrigere oportet, ac ſenſim ad meliora transferre. Neq; enim natura patitur eas quæ ſubitò fiunt alterationes: hominem autem neceſſarijs occupationibus diſtrictum, in eodem præſtat habitu conſeruare. Quo pacto igitur & hoc ipſum primum cauſarum genus Conſeruatiuum appellamus? nam fortè magis alteratiuum & curatiuum, & naturalium defectuum correctiuum uocare conueniat. Quoniam ad uniuerſum ſanitatis genus referentes, non ad eas quę ſecundum ſpeciem differentias, quęcunq; ſanos conſeruant, Conſeruatiua omnia uocamus, ſiue præter id quod ſanitatem conſeruant, ad melius totam traducant temperaturam, ſiue priſtinum tantummodò habitum tueantur: at quæ deteriorem ſtatum efficiunt, inſalubria. Quæcunq; igitur ſimilem habent in omnibus corporis partibus intemperiem, eâdem egēt procuratione: quæ uerò diſsimilem, diſsimili. Nam fieri poteſt ut uentriculus frigidior ſit quàm oporteat, caput uerò calidius, atq; utrunque proprijs egeat auxilijs. Ac ratione eâdem ſingulæ aliæ partes, quum fuerint aut præter modum humidiores, aut ſicciores, aut calidiores, aut frigidiores, ſuæ intemperiei uictum exigunt accommodatum. Neque igitur modo eodem omnes tales corporis partes exercebimus, neque æqualiter humectabimus, aut exiccabimus, aut tale aliud quippiam agemus. Plenius uerò de his diximus uolumine illo, quod De ſalubribus inſcribitur.

Cauſæ conſeruantes conſtitutionem deflectentem ab optima per ſolam compoſitionem. CAP. XXXV.

INſtrumentariarum autem partium cauſæ ſalubres, quemadmodum & hic ab optima conſtitutione delinquitur, ita & inuicem diſtabunt. Aliæ enim ſunt ſalubres erroribus, qui in formatione conſiſtunt: aliæ his qui in magnitudine, uel numero, uel poſitu. In formatione igitur plures contingunt errores. Nam & figura partis, & ſi qua in ea cauitas eſt ſecundum naturam, uel meatus, uel orificium, uel aſperitas, uel lenitas, quando à naturali mediocritate receſſerit: ſi quidem parum hoc patiantur, ſalubrium corporum retinent appellationem: ſi uerò amplius, inſalubrium. Quòd ſi tantus fuerit receſſus, ut operationi afferat detrimentum, iam ægrotare dicentur. Secundũ quantitatẽ autẽ exceſſus atque defectus, ad eaſdẽ ducit differentias. In numero uerò ſiue una, ſiue plures, quæcunq; ex ſimilaribus partibus fuerint, aut deficiant, aut ſuperabundent. Ex hoc genere etiã ſunt, quæcunq; in nobis ſubſtãtiæ præter naturã conſiſtunt. Reliquũ eſt aliud genus, quod ad ſitum cuiuslibet ſimplicis attinet partis: in quo & ipſo quatuor ſunt omnes differentiæ. Prima quidem, quæ optima exiſtit: ſecunda uerò, quæ parũ euariat, atque ideo ſalubre adhuc efficit corpus: & tertia, quę inſalubre, quãdo amplius à modo receſſerit: & quarta, quæ iam ægrũ receſſu plurimo reddit. Quæcunq; igitur partes in figura delinquunt, ueluti quę blæſę, uarę & obliquę appellantur. Hę, quum nuper natus adhuc tenellus eſt, formatione atq; alligatione, ad naturalẽ traducunt habitũ. Quòd ſi iam aucto infante ad duritiẽ peruenerint, emendari nõ poſſunt. Sic errores quidẽ qui ad cauitatẽ attinent, quũ adhuc augeri perſeuerãt, correctionẽ admittunt. Quũ aũt iam ad ultimũ peruenerint, nullus eſt remedio locus. Cauitates igit̃, quiete atq; alligatione paruę reddunt̃: magnę uerò, partiũ operatione & ſpiritus retentione: ſic & quæcũq; foramina, oraq;. Et quidem quæ

naturalem magnitudinem partes exuperant, quiete ac commoda alligatione minores redduntur: augentur autem & naturali motu, & frictione moderata, & quibuscunque alijs plus sanguinis attrahere natura aptis. Deficientes uerò partes quęcunque ex sanguine ortū habuerunt, corrigi quidem nō est impossibile: Quę autem ex semine, propemodum impossibile existit. licet tamen aliquando loco eorum alia facere, quæ usum haud dissimilem præstent. Earum uerò omnium natura opifex est, Medicus autem minister. Quæ uerò numero excedunt, his ablatio causa salubris existit. Inspicere uerò oportet, in quibus id fieri possit. Nam si impossibile appareat, transponere tentandum est. Eadem est & eorum quæ in situ uitia sunt, emendatio. Neque in obscuro est, quòd duo sæpius aut tria uitia eandem partem possunt occupare: sicuti in eo qui uentriculum paruum simul atque rotundum, atque aduersus septum habuit incumbentem. In ipso etenim magnitudo, formatio, ac situs erant deprauati, temperatura quoque frigidior existebat. Hic nullo artificio ad naturalem habitum transferri poterat: at ne adeò infestaretur, erat remedio locus. Nam quoniam repleto uentriculo difficultate spirandi premebatur, minus cibi, at magis alimento opportuni, & qui non difficulter subduceretur, ter die assumebat. Alteri uerò, cui obstructio in hepate ob uasorum angustiam sæpius contingebat, extenuans uictus pro remedio inuentus est.

Causæ conseruantes constitutionem deflectentem ab optima per solutionem unitatis. CAP. XXXVI.

Reliquum igitur id morbi genus est, quod & similaribus & instrumentarijs partibus commune existit, solutio scilicet continuitatis, quam quispiam fortè his unquam adesse negaret, qui integra sanitate fruuntur, quoniam semper fit passio. Quem sanè latet, eandem in omnibus generibus fore dubitationem. Nisi enim operationis læsio sensibilis, sanitatem ab ægritudine separet, sed qualitatem tantummodò dispositionis introspiciamus, perpetuæ passibilitatis dogma necessariò recipiemus: quum nullus sit qui omnes operationes optimas habeat. Sed de hoc quidem, ut quod ad logicam potius pertineat contemplationem, seorsum consideretur.

Causæ effectrices salubritatis, & primùm de curatricibus morbi in intemperie, tum in genere, tum in specie. CAP. XXXVII.

Salubres uerò causas, in his quos nemo dubitat ægrotare, deinceps percurramus, à mala temperatura exordium faciētes. Hic uerò prius distinguamus quę omnes ferè medici prætermittunt, alias quidem esse salubres causas eius temperaturæ quæ iam facta est: alias autem illius quæ & adhuc fit, sicuti etiam alias eius quæ futura est. Huius itaque postremæ, hę quidem in pręseruatiua artis parte continentur, hæ uerò in salubri. Primæ autem inter omnes in curatiua tantummodò: sed eius quam mediam inter utramque locauimus, in præseruatiua & curatiua. Iam enim factam atque existentem ęgritudinem curare oportet: sed quę nondum quidem adest, at futura est, prohibendum est ne fiat, ab ea quæ est in corpore dispositione. Eius autem quæ adhuc fit, quod quidem factum est, curare opus est: quod autem futurum, prohibere ne fiat. Prohibebitur autem, sublata ea dispositione quam sequi natura apta est. Talis uerò dispositio causa antecedens appellatur. Facta autem ęgritudo curabitur, soluta ea dispositione à qua primùm ea, quæ secundum naturam, læditur operatio: quam quidem & ipsam morbi essentiam dicimus esse.

Curatio uerò unam præcipuam ac communissimam habet intentionem, ad id quod est dispositioni auferendæ contrarium. Ex hoc siquidem genere sunt causæ

causæ illæ omnes quæ sanitatem efficiunt. Secundum partem uerò, ex unicuique dispositioni contrarijs. Calido igitur affectui causa frigida contraria existit, frigido autem calida, eademq; in cæteris proportione. Etenim si omne immoderatum est præter naturam, moderatum uerò secundum naturam: necesse est omnino, ut immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigatur. At manifestum est, quod secundum potentiam, non autem imaginationem, & calefaciens & refrigerans, & quecunque alia huiuscemodi oportet assumere. Voco autem secundum potentiam, quod re ipsa uerè tale existit, quale esse dicitur: Secundum imaginationem autem, quòd ex prompto quidem sensu tale esse imaginamur, quum tamen uerè tale non sit. Sed qua sint hæc ratione distinguenda, diximus in his libris, in quibus De simplicium medicamentum potestatib. agitur. Ad inuentionem autem salubrium causarum, quæcunque quidem ut ad eam quæ iam facta est, ægritudinem causæ salubres existunt, uia illa doctrinæ utendum, qua id quod imaginamur, ab eo quod talem habet potestatem, separatur. Quæcunque uerò ut ad eam quæ adhuc fit, & hac eadem uia, atque illa præterea ex qua ægritudinum causę inueniuntur. Esto enim, si ita contigerit, in humoribus putrescentibus accendi febrem. Indicatio in huiusmodi est euacuatio atq; alteratio: hæc quidem, quæ putredinē finiat, manente adhuc substantia: euacuatio uerò, quæ totam ex corpore substantiam educat. Sed dicta quidē alterationis species, concoctio existit. Quam ubi inuenerimus à quibusnam causis fieri contingat: tunc utique eorum quæ hoc pacto salubria sunt, scientiam tenebimus. Euacuationes autem fiunt & per sanguinis emissionem, & clysteris usum, & per urinę uias, atque eam quæ per cutem fit transpirationem, ac præterea per eam quæ fit ad partes oppositas attractionem, atque ad alias propinquas deriuationem. Nam & ad hoc idem genus pertinet citare menstrua, atque ora uenarū, quæ Græci hæmorrhoidas appellant, aperire, ac per palatum naresq; expurgare. Quum igitur & hic materias inuenerimus, quibus in qualitate & quantitate & modo usus adhibitis euacuatio fit: in ipsa artis parte salubria inuenientur, atq; eorum omniū inuentio traditur in eo uolumine quod De arte curatiua inscribitur. Eadem ratione in alijs tribus intemperaturis, si unum commune præceptum obseruabimus, ut unamquanq; prius quæ efficit causam, rescindamus: deinde ita ad illam quæ ab eadem causa facta est, ægritudinem accedamus, causarum salubrium inuentionem faciemus. Secundum uerò compositas intemperaturas, ex simplicibus compositio commonstrabit salubria præcepta: quum hic quoque studuerimus, pro magnitudine intemperaturæ, eidem conueniens inuenire remedium. Veluti si cōtigerit, quod in decem quidem numeris ad caliditatem maiorem ea quæ naturę conueniat, decidat corpus: septem uerò, ad siccitatem maiorem: tunc salubrem causam in huiuscemodi affectibus esse oportebit, decem quidem numeris frigidiorem, septem uerò humidiorem. Si igitur ipsi particulæ patienti admoueatur tale remedium, tanto erit frigidius atque humidius, quantū exigit partis affectæ indicatio. Quòd si particula affecta in penitioribus locis sita sit, machinari oportet insuper tale inuenire salubre remedium, cuius uis nequaquam in itinere antea soluatur. Si itaque calidius esse opportuerit eo quod est moderatum, non solum tantam habeat caliditatem, quantam exigit morbus: sed ultra eandem mensuram tantum adijciatur, quantum ex situ, ut pertingere possit ad locum patientē, sit necessarium. Si uerò frigidius, non simpliciter tantum frigiditatem oportet augere, sed & materia quoque prius est animaduertenda. Si enim crassa sit, non admodum poterit ad profunda penetrare: at potius contrarium præstabit effectū spissando superficiē, atq; densando. At si tenuioribus partibus constet, poterit

ſanè plurimum ſubire profundum. Idem in humectantibus atque exiccantibus accidit, in quibus craſsitudo atq; ſubtilitas partium ſubſtantię eſt inſpicienda. A ſitu quidem loci, ut nuper diximus, inuenit indicatio ſalubre remedium: à formatione autem, & ſitu ſimul, quando effluxus ſenſibiles atque ad alium locum foraminibus patentes habuerint, aut his omnino caruerint. Quos enim effluxus ad principales deferri partes cognouerimus, auertemus, atq; ad illas impellemus quæ nullum habent principatum. Illud uerò manifeſtum, quod earum quæ intemperaturam efficiunt cauſarum, curatio fit per euacuationem. Nam ipſę intemperaturæ ſola alteratione ſanantur.

Cauſæ curatiuæ uulneris in carne. CAP. XXXVIII.

Continuitatis autem ſolutionis curatio intentionem quidem habet unionem, quæ in partibus quidem inſtrumentarijs impoſsibilis eſt: in ſimilaribus uerò non ſemper poſsibilis. At quandoque, ſicuti in carnoſis, ſanitas conglutinatione perficitur: nihil uerò differt, neque ſi coalitum appellaueris. Ipſam uerò antecedit, quando uulnus maius extiterit partium applicatio diſtantium, quæ ex formationis genere exiſtit. Vt autem hæc ipſa firma ac ſtabilis fiat, & alligatio cogens in unum quæ diſtant, & fibulæ & ſuturæ utiles ſunt. Coaleſcere autem facit ea quæ inuicem diſtant, ac priſtinam reſtituit unitatem ipſa natura. Noſtrum uerò opus eſt, ut diximus, applicare extrema diſtantium partium, atque ita ut in unum coacta ſunt conſeruare: & tertio loco cauere, ne quid labris hulceris interci dat: & quarto, ipſam partis ſubſtantiam conſeruare ſalubrem. Sed quo pacto & primum & ſecundum impleamus officium, dictum eſt. Tertium uerò in cogendo in unum partes diſtantes exequemur, ſi nihil extrinſecus incidere permitta mus. Quoniam ſæpius uſu euenit, ut pilus, aut oleum, aut aliqua alia humiditas interueniens, earum quæ copulandæ ſunt partium unitatem impediat. In eo autē quod ſequitur tempore, per ſuffluxiones tertia intentio retinetur. Ipſam uerò ſuffluxionem ex eiuſdem et contrarij loci diuiſione, & figura opportuna cōparandū. Partis autem ſubſtantiā ſalubrem cum mediocriter exiccantibus conſeruabimus. Hæc quidem eſt ſolutæ cōtinuitatis curatio, quū ipſa ſola ſeorſum in carnoſa parte conſtiterit. Quòd ſi alicui alteri morbo coniungatur, plures ſunt indicationū intentiones, quas in compoſitorum, uel complicatorum, ſiue ut cuique appellare libuerit, doctrina deinceps trademus. In præſenti autem ſermone ad reliquas unitatis ſolutiones accedendum.

Cauſæ curatiuæ fracturæ in oſſe. CAP. XXXIX.

Fractio igitur eſt continuitatis in oſſe ſolutio, quæ quantū ad intentionem primam, inſanabilis exiſtit. Quò uerò ad ſecundam, quodammodo ſanabilis fit. Prima igitur intentio eſt coalitus partium, qui ob oſsis duritiem fieri non poteſt. Secunda alligatio, quæ fit callo ſupernato, partes fractas circumalligante. Calli autem generatio quā quidē ex materia & à natura fit, eſt & ad alia communis: quà uerò formam oſsi uicinam habet, ex eiuſdem fit alimento. Molle uerò & puerile os coaleſcere poteſt, ſed perrarò fit talis affectus, quin cum altero ſocietur. Magna enim ex parte muſculi adiacentes unà corporibus alijs fractis oſsibus patiuntur. Quare & curationis intentio oritur duplex, quarum altera quidē circa oſſa, altera uerò circa corpora adiacentia uerſatur. Sed hęc quidem in carnoſarū partiū cōplicatis dicetur affectibus: nunc uerò de fractionibus dicendū. Quoniā enim harū ſanitas calloſitate procurat̄, ut aūt callus generet̄ proprij oſsis alimēti ſuperfluitatē naturę ſuggerere oportet: hanc uerò ſuperfluitatē in qualitate & quātitate ſeruare modū, eſt neceſſariū. Vnde & ratio uictus eſt adhibēda, quæ tantū ac talē influere oſſibus ſanguinē pręparet, qualis & quātus generādo callo fit opportunus.

Quoniam

Quoniam uerò per fracti ossis cauernas idem effunditur sanguis, eiusdē qualitatē & multitudinem animaduertere oportet, atque ita uel ficciorem, uel humidiorem uictum instituere. Sed hæc omnia in libris, in quibus de curandi ratione tractatur, plenius sunt explicata.

Causæ curatiuæ solutæ unitatis in neruo uel tendine. CAP. XL.

NErui uerò & tendonis punctura propter sensus uehementiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, prompta est ad neruorum conuulsionem excitandam: ac tum præsertim, quum nihil extrorsum expirat, obcæcato cutis uulnere. Aperiendum est igitur, atque exiccandum substantia tenui, quæ usque ad ima nerui offensi possit penetrare. De his uerò exactè diximus in libris De arte medendi conscriptis.

Causæ curatiuæ ulceris. CAP. XLI.

IN simplicibus quidem huius generis affectibus, salubrium causarum forma talis existit. In compositis uerò, complicatur hulceribus. Prima quidem cauitas, quam non alterum affectum, sed hulceris differentiam esse arbitrantur. Est autem non differentia huiuscemodi res: sed alterum aliquod totius ægritudinis genus, in quo ipsius substantiæ iactura facta est. Et quidem curatio in duplici morbo, duplicem exigit intentionem. Nam continuitatis solutio, unitate: substantię autem iactura, generatione indiget. Paulo uerò suprà, generationis intentiones expositæ sunt. Quòd autem primum quidem hunc affectum oporteat sanare, demum unitatem restituere tentare, ipsa rerum natura commonstrat. Quum itaque repletum quidem fuerit cauum, hulcus uerò ad æqualitatem perductum, alteram intentionē aboleri contingit; nam media existente inter labia hulceris ea carne quæ nuper est genita, partes quidem distantes uniri est impossibile, unde fit ut alia sit intentio perquirenda. Intentionem autem consequemur ex eo quod est secundum naturam, ipsi parti comparando. Erat autem eidem, cute obduci naturale. quare hoc ipsum à nobis procurandum. Aut si hæc intentio effectum sortiri non potest, simile aliquid cuti, carnem scilicet quæ cutis naturæ uicina sit, instaurandum. Est autem huiuscemodi, quę & sicca, & calli similitudinem præ se fert. Ad cicatricem igitur obducendam necessaria erunt exiccantia, ac sine mordacitate astringentia medicamina. Ita & si, sordities aliqua fuerit adnata, intentio quidem erit abstergendi: & erit medicamen salubre absterſiuū. Eorundem uerò materiam in libris, in quibus De medicaminibus agitur, scripsimus. Et quidem si aliqua inflammatio, uel attritio, aut tumor prædurus, uel mollis, & laxus cum hulcere fuerint, prius eorum curationi intendere oportet, eas sequendo uias ac rationes quas prius exposuimus. Sic &, si aliquid hulceri illabitur, ad illabentium curationem intendendum. Eodem pariter modo, si aliqua intemperies hulceratum locum obsederit, ad eiusdem intemperiei remedia antea ueniendum. Sed de his quidem satis.

Causæ curatiuæ morbi secundum conformationem. CAP. XLII.

NVnc uerò transeundum est ad formationis genus, quod in plures secatur differentias. At ab eo quod euidentissimum existit, exordium est sermonis faciendum: quod ex figuræ permutatione contingit. In his igitur qui adhuc crescunt, possibile est plurium partium figuram emendare: in his autem qui iam aucti sunt, minimè. Intentio tamen, quoad fieri potest, curationem adhibere, ad contrarium euersionis adducendo. Si uerò fractione aliqua non rectè conformata, alicuius membri figura fuerit uitiata, cui substātia callosa innasci præuenerit: si quidem hæc adhuc recens extiterit, perfringere oportet, ac rursus rectè afformare, deinde callum superinducere.

Causæ curatiuæ morbi secundum cauitatem uel meatum.
CAP. XLIII.

Est uerò & obstructio ex eodem genere ægritudinum, quæ quidem ex lentis & crassis humoribus fit, unam & ipsa habens intentionem morbo contrariã: dico autem apertionem. Causæ uerò salubres sunt, abstergentia atq; incidentia medicamina. Quæ uerò fit à stercore duro, quod intersepit intestinum, primum quidem habebit duriciei remedium ex humidis pinguibusq; clysteribus, demum ex acribus euacuationem exposcet. Quæ autem à lapide fit in uesica, & in præsenti quidem transpositionem requirit, integræ uerò sanitatis causa incisionem & extractionem. Humiditatis autem quæ præter naturam continetur, sanatio in omnimoda euacuatione consistit: quemadmodum etiam in suppuratis. Immodica autem repletio, immodica euacuatione curatur: ut quũ sanguis intra uenas redundat. Sic & quibuscunque uel in uentriculo, uel in intestinis, uel arteria aspera, uel pulmone pus aut sanguis continetur, integra euacuatio est necessaria. Superflui autem cibi aut potus adhuc recẽtis assumptio abuacuatione corrigitur. Quæcunque igitur in pulmone uel pectore continentur, cum tussi educuntur, aut à medicaminibus extenuantibus. Quæcunque uerò in hepate, uel uenis, uel arterijs, uel renibus, aut per urinam, aut per uentriculum. Sed per urinam quidem, ab his quæ uehementer extenuant: per uentrem uerò, ab his quæ attrahendi aut aperiendi ora uim habent. Quæcunque uerò in superiori uentre comprehenduntur, per uomitum: quę autem in inferiori, per subductionem. Sed quæcunque sub cute, per sectionem, uel ignem, aut per medicamina adurentia: sic uerò aliquando quæcunque in aliqua naturali cauitate, ut in thorace. Et, ut summatim dicam, quicquid præter naturam in aliquibus partibus continet̃, sanationis intentio est ablatio: quæ si fieri non possit, transpositio. Quæ uerò non sunt ex genere præter naturam, at quantitate damnantur, in his intentio est abuacuatio. At inuentio eorum quæ ad ipsorum sanationem perducunt, partim quidem ex affectu, plurimum uerò ex ipsis affectis particulis sumitur.

Causæ curatiuæ morbi in superficie. CAPUT XLIIII.

Quæcunque partes uerò ob id quòd exasperatæ naturalem amiserint habitum, his læuitas naturalis est restituenda, ossa quidem læuigando, arteriam autem uel linguam leniendo humidis, quæ nihil mordeant, & lentorem habeant. Sed quibuscunque læuitas inest non naturalis, asperitas naturalis est reuocanda medicaminibus, quæ sufficienter abstergant, & parum astringant.

Causæ curatiuæ morbi compositi ex omni morborum genere.
CAPUT XLV.

Quæcunque uerò uel obstructiones, uel angustiæ meatuum, alias sequantur ægritudines, illarum curatio prius est perficienda. Ostensum siquidem est in libro de Differentijs morborum, quod & inflammationibus, & duris laxisque tumoribus, & siccitatibus, aliquando immodicis, ac præterea uitiosis partium continentium figuris, ea quæ nuper diximus, sæpius adueniunt: sicuti & quibusdam tumoribus eorum, qui sunt in ambitu corporum. Quòd si nonnulla ex proximè dictis inuicem complicentur, uarias habebunt indicationes. Sufficiet autem in uno exemplo habuisse sermonem, quoniam de omnibus in libris De arte curandi plenius sumus exequuti. Supponatur, cuipiam particulæ multitudinem sanguinis influi, adeò ut intendantur in ea uenæ, non maiores tantum, sed etiam paruæ, quæ prius sensum effugiebant, nunc

nunc uerò iam plenæ uisu comprehenduntur, sicuti plerunq; in oculis ob tunicæ albedinem manifestissimè patet. Par siquidem est, quòd & alia uasa quæ latent sensum, iam plena distendantur, non tamen & ipsa ob paruitatem adhuc uisui manifesta. & iam periculum imminet, ne quod ex uasis exudat, ad spacia uacua quæ in medio sunt, effundatur: aut ne iam paruum aliquod sit effusum. Huius quidem affectus sanatio intentionem habebit euacuationem, aut ut manifestiori uocabulo utamur, abuacuationem. Siquidem morbus erat immoderata partis repletio. Necessarium igitur est, ut aut superfluitas retrocedens euacuetur, aut per ipsam patientem particulam. Retrocedet autem, uel impulsa, uel attracta, uel transmissa, uel horum uno aliquo modorum, uel omnibus. Per locum uerò patientem euacuabitur, partim quidem manifestè & sensibiliter, partim uerò in uapores resoluta. Si igitur uniuersum corpus plus æquo plenum fuerit, per patientem locum minimè euacuandum. Nam si scarificationibus aut sectionibus sensibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus. Si uerò calefacientibus dispergere tentabimus, plus erit id quod ui caloris ad partem attrahetur, quàm dispersum. Quòd si in eo elaborabimus, ut quod influxit retrocedat, corpus quum plenum sit, non admittet. Vt hæc igitur ambo fieri possint, totum corpus euacuare oportet: aut omnino ad contraria loca retrahere, quod patienti particulæ influit: quo perfecto opere prius à parte repellendum, mox dispergendum. Quanto enim per minora fit, tanto expeditior est euacuatio. A' patiente uerò loco astringendo ac refrigerando repellemus, sed & exinanita loca attrahunt ad seipsa quæcunque repercutiuntur. Hoc siquidem ostensum est in eo uolumine, in quo de potentijs naturalibus agitur. Et uasa præterea uigore ex medicaminibus astringentibus addito, à se ad alia remittent. Si igitur hac uia superfluum omne retrocesserit, bene se res habet: at si aliquid fuerit in parte retentum, coniecturandum erit id lentum ac crassum existere, atque ea ratione iam coactum atque astrictum, ut cum difficultate solui possit. Fieri autem potest, etiam si non eius naturę sit, ut ad spacia quę in medio, sit effusum: in quo casu tunc ad id ueniendum esse, tempus suadet, ut hoc ipsum quod reliquum est per patientem locum euacuemus, imponendo suprà iacentibus partibus, ea quę influentem humorem repellendi uim habent. Maximè uerò euacuabis, si in spacijs intermedijs aliquid contineri coniectura assequeris, & scarificationum auxilio, & medicaminum quæ uim habeant dispergendi. Sed quoniam omnia discutientia uires calidas habent; eius uerò temperaturæ effectus est, mordere, quando caliditatis modum excesserint: cauenda ex eis sunt uehementissimè calida: ac tum præsertim, quum patiens locus inter summa fuerit. Neque enim paruus excitabit dolor, si pręter proprium affectum insuper mordeatur: omnisq; pręterea dolor fluctiones commouet. Quod igitur mediocrem caliditatem obtinet, in his sensum doloris non inuehit: atque eo amplius omni dolore uacat, si humidum extiterit. Et quidem quicquid per summa hæret, potens est id medicamen dispergere, quòd etiam ualidas non habuerit ad dispergendum uires. Quòd si summę quidem partes omni noxa caruerint, id uerò quod euacuari oporteat, in penitioribus partibus fuerit, intendendus atque augendus dispergentis medicaminis calor: quum dubitandum sit, ne prius quàm profundas attigerit partes, interim uires amittat. neque tamen ex eo superiores partes aliquem dolorem sentient, quum omni uacent affectu. Quare nunc hæc duo simul inuitant ad calidorum pariter atque acrium medicaminum usum, & summę partes quæ tolerant, & profundæ quæ egent. Hæc igitur ex patiente particula indicatio assumebatur.

Deinceps uerò, si quid ad sanitatem deficiat, consideremus: neque enim paruum

aliquid deesse uidetur. Affectæ partes, in quibus fluctionis superfluitas retinetur, nonnullæ quidem igitur raræ & laxæ, & molles naturâ existunt: nonnullæ autem densæ, & pressæ ac duræ. Priores igitur facilè euacuantur: reliquæ autem acrioribus euacuantibus, ac præterea tenuiores partes habentibus egent, atque eo etiam magis, quanto profundiorem situm habuerint. Hæc igitur tibi rursus sit indicatio altera, à particulę patientis substantia: alia uerò à formatione simul, ac situ. Supponatur enim, si ita cōtigerit, in hepate esse proximè dictum affectum, in angustis uasorum finibus impactis humoribus, qui uel lenti ac tenaces, uel crassi existant, uel superabundent. Non'ne in promptu est, primùm quidem crassitiem unà cum lentore & tenacitate, cibis ac potibus extenuantibus, ad subtiliorum partium substātiam transferri oportere? Secundo autem loco, non per angustos atq; inuisibiles, sed latiores meatus, quicquid infestum existit, esse euacuandum? Sunt enim in hepate uenæ, non minus amplitudine quàm numero excedentes. Terminantur autem hę quidem in gibbis ad uenam cauam, hę uerò in cauis ad portam: unde haud difficile tibi futurum, ubicunque pressi ac stipati humores fuerint, eosdem expedite euacuare, trahendo quidem ad uentrem, cum his quæ attrahendi uim habent medicaminibus, quicunque ex ipsis in uenis ad caua hepatis pertinentibus aceruati sunt. Ad urinæ uerò meatus promouendo per cauam uenam, quicunque in uenis ad eam pertinentibus sunt. Sed præter suprà dictas, alia est indicatio ab hepate ipso, ueluti à uenarum principio. Nam quum nō tantum seipsum regere natura aptum sit, ut plerę; animalis partes, sed uenis præterea uirtutem largiatur: periculum imminet, ne si eius uigor madefacientibus ac relaxantibus cataplasmatibus fuerit resolutus, & ipsum primum ad sui opus, atque omnes subinde uenæ eius ratione imbecilles efficiantur. Quare in eius curationibus aliqua ex astringentibus medicaminib. miscere oportet. Sed quoniam in profundo admodum loco situm est, dubitandum erit, ne astringentis medicaminis uis debilitetur, nisi ab aliqua altera subtilium partium substantia, qualis aromatum est, traducatur. Melius uerò fuerit, si & ipsum astringens medicamen, unum protinus ex aromatum genere fuerit. nam si duas habuerit natura insitas qualitates ac potestates, ualentius operabitur: & quidem euacuetur quod pręter naturam in membrum confluxit, seruet autem humorum modum naturæ conuenientem. Quare & illa animaduersio à nobis est in hoc adhibenda, ne quid ab humoris confluentis qualitate eiusdem mēbri temperies sit alterata, si pituitæ naturam tenuerit ad frigiditatem: si uerò bilis, ad caliditatem, ut hanc ipsam curantes intemperiem sanitati restituamus. Curabimus autem, contrariā ex aduerso afferētes qualitatem, quemadmodum in intemperaturarum curationibus diximus: quantum unumquodque calidius aut frigidius factum est, tantum refrigerantes aut calefacientes. Quare & hic rursus agnoscenda est ipsius secundum naturā temperies. Nam quo pacto sciemus, quantum in frigiditate ac caliditate à naturæ modo recesserit, aut quando à frigefaciendo supersedebimus, si nos latuerit ea quæ est secundum naturam caliditas? Ita uerò & si frigidius effectum calefaciemus, ignorantes frigiditatis naturalis modum: neque opportunè calefacere, neque in tempore à calefaciendo desistere poterimus.

Causæ curatiuæ morbi, secundum numerum.

CAP. XLVI.

SEd quoniam de his satis diximus, transire iam tempus ad ea in quibus numerus non est secundum naturam. Quum uerò duplex sit eorum differentia, quibus quidem aliqua particula deficit, his intentio est alteram efficere subministrando

strando naturæ, eo quo diximus paulo antè modo. At quibus superabundat, hanc resecare oportet aut scalpello, aut igne, aut medicamine quod urendi uim habet. Hæc igitur omnia sanare posibile est: at non æquè omnia generari possunt, ut in libro De semine diximus. Quædam uerò sunt, quæ etsi generari non possunt, licet tamen pro ipsis alterum efficere, quemadmodum in osse ex toto sublato, alteram substantiam in eius sede reponere, à carne atque osse differentem. Est enim quæ in eius gignitur loco quædam ueluti caro callosa, uel callus carnosus, & processu temporis magis ac magis ad calli duritiem transfertur, quum ab initio carnis potius imitetur naturam. Quacunque uerò parte sublata, quum neque eandem secundum speciem substantiam, neque similem efficere possumus: tertia nobis intentio, quendam decorem inuenire, quemadmodum in mutilationibus.

Causa curatiua morbi in magnitudine. CAP. XLVII.

COmmunicat autem hoc genus totum cum eo quod ad magnitudinem pertinet. Nam quodcunque ex eo est secundum naturam, illi propinquum existit. Id uerò tantum seiunctum est ac separatum, quod inter ea quæ sunt è genere non naturali connumeratur. In quo quidem prima intentio est, ablatio. Si uerò hæc imposibilis existat, secunda est transpositio: quemadmodum in suffusionibus. Quæcunque uerò non integris partibus, sed partium tantummodo particulis deficiunt, aut excedunt naturæ modum, refectio quidem uel generatio in his quæ deficiunt, ablatio uerò & abolitio in his quæ superabundant. Quare neq; in ipsis altera intentio, neq; medicaminum forma genere diuersa.

Causa curatiua morbi in situ. CAP. XLVIII.

SEd iam ueniendum est ad reliquum salubrium causarum genus, quod ea corpora emendat quæ in situ sunt uitiata: ueluti luxationes, & intestinum in scorto. Fit autem hoc ex uiolenta tentione, atque impulsu: hoc uerò, ex dilatato ac rupto continente. Quare & duplex sanandi modus: alter quidem, ad oppositam partem ei à qua facta est permutatio intendendo atque impellendo: alter uerò, id quod cõtinet firmius solidiusq; reddendo. Quibus uerò uijs ac rationibus singula inueniri posint, in libris De arte curandi explanauimus.

Causæ effectrices neutræ præseruantes: & primùm de præseruatione corporis neutri decidentiæ. CAP. XLIX.

COnsequens est ut ea omnia exequamur, quæcunque in superiori sermone dicere distulimus. Vocant autem eadem Prҿseruatiua. Est autem horum triplex secundum genus differentia. Prima quidem, hominis qui integra fruitur sanitate. Secunda uerò, eius qui non integrè ualet. Tertia, eius qui ægrotat. Primum igitur genus ad salubrem attinet artem: atque in duas, ut antea diximus, diuiditur partes. Secundum uerò, ad præseruatiuam spectat: tertium, ad curatiuam. Hoc autem uniuersum genus circa humores præcipuè negociatur, quos neque lentos esse oportet, neque crassos, neque aquosos, neque plurimos, neque uehementer calidos aut frigidos, neque mordaces, neque putredini obnoxios, neque ueneni naturæ affines. Nam ubi aucti fuerint, generant morbos. Augent uerò nonunquam eadem ex causa, quæ ab initio generauit. Illud autem plerunq; accidit, ut sua alteratione inficiant eos qui sunt in corpore humores. Intentio uerò & horum sanationis duplex existit, alteratio & euacuatio. Alterantur igitur, uel ab ipso corpore concocti, aut ab aliquibus alijs facultatibus quæ uim medicamentosam habent. E quorum numero etiam sunt ea quæ exitialium ferarum uenenis aduersantur, ac præterea pharmaca quæ uenena appellantur, transmu-

tant. Euacuantur autem satis calidis medicaminibus, & purgationibus, & clysteribus, & sudoribus, & uomitibus. Hæ igitur sunt communes euacuationes. Propriæ autem, ex locis in quibus coaceruantur, assumuntur: ut in libris De salubribus ostendimus, tertio præsertim, ac quarto, in quibus de lassitudinibus egimus, ac reliquis dispositionibus quæ lassitudini natura proximæ sunt. Promptius enim euacuantur per uentrem, quæcunque in primis uenis continentur superfluitates. Quæ autem in his quæ in hepate sunt, per urinæ meatus. At quæ in toto corpore, per sudorem: sicuti quæ in capite, uel per palatum, uel per nares, uel per utrunque. Quæ uero sunt in spacijs pectoris laxioribus, per guttur simul cum tussi: quę in renibus sunt, uel uesica, per urinam. At trahendi ex omni loco ad oppositas partes communis indicatio est, ad quàm maximè distantia, deriuatio uero ad uicina. Quęcunq; uero huiuscemodi curant dispositionem, causas salubres appellamus: sicuti insalubres, eas quę adaugent: & neutras, quę neq; obsunt neq; iuuãt. Posset uero quispiam neq; omnino causas appellare, quemadmodum maior pars sophistarum, qui rerũ quidem differentiam inuenire contemnunt, plurimum uero temporis in nominibus conterunt: cõtra quos in alijs uberius disseruimus. At pars quidem artis præseruatiua talis est.

Causæ præseruantes corpus neutrum, senile & conualescens. CAP. L.

QVæ autem reficit atque restaurat, in conualescentibus ac senibus locum habet. Quæ uero sit horum dispositio, & à quibus præcipuè causis ad naturalem reducatur habitum, in libris in quibus De medendi arte tractauimus, abundè explicauimus. Sed nũc per capita dicetur. Dispositio igitur talis est. Optimus quidem, sed exiguus est sanguis, atq; unà cum ipso spiritus animalis atq; uitalis. Ipsæ uero particulę solidę sicciores, & idcirco eorum uires sunt imbecilliores, atq; earundem ratione corpus uniuersum frigidius. Causæ uero salubres quę hanc emendant dispositionem, ut uno cõprehendam capite, sunt, quęcunq; pręsentaneũ atq; securum exhibent alimentũ: secundũ partem autem, in motibus moderatis, & cibis, potibusq; ac somnis consistunt. Sunt uero motus materiæ, uehicula, ambulationes, frictiones & balneę: & ubi non parum se ex his profecisse senserint, paulatim se ad consueta opera transferant. Cibos aũt assumant in principio quidem humidos, & concoqui faciles, neq; frigidos: ac quum progressi fuerint, eos etiam qui plurimum prętant alimentũ. Potus uero opportunus est uinum, ætatem quidem habens mediocrem, in substantia aũt purum atq; perlucidũ, quod scilicet uel subflauum uel album existat, atq; suauiter olẽs: gustui uero neq; aqueũ omnino, neq; cũ aliqua insigni qualitate, aut dulcedine, aut acritudine, aut amaritudine sentiat.

EPILOGVS.

VT autem proximè diximus, de hisce omnib. in libris De arte curandi cõscriptis plenius disseruimus. Nunc enim neque omnia particulatim recensere est nostri propositi institutum: sed solùm capitum mentionem facere intendimus, eorum quæ in alijs uoluminibus latius explicauimus. Quorum omniũ si prius & numerum & qualitatem exposuero, finem libro imponam. Diximus itaq; prius, quòd alter est liber in quo de Constitutione artis medicinæ disseruimus. Antecedunt autem eum alij duo, De constitutione artium: sed hi quidẽ unà cum hoc cui nunc extremã manum adiecimus, seorsum sunt ab alijs libris in quibus plenior doctrina explicatur. Illi uero talem inter se ordinẽ habent. De elementis quidẽ secundum Hippocratem liber unus. Post hunc aũt, tres De temperaturis: ex quib. quidẽ duo sunt De temperaturis animaliũ, tertius uero De his quę simpliciũ medicaminum sunt. Quamobrem & tractatum illum in quo De simplicium medicaminum potestatibus agitur, nemo rectè intelligentia assequi potest, nisi prius tertij libri

bri De temperaturis integram cognitionem fuerit adeptus. Est & alius liber paruus, qui ordine sequitur duos priores alios de temperaturis. Inscribitur autem De inæquali intemperie. Similiter autem & hunc alij duo parui, alter quidem De optima corporis constitutione, alter De bono habitu. Alius uerò tractatus est, qui tres complectitur libros De potentijs naturalibus: quem si quis legere uelit post librum De temperaturis, siue post librum De elementis, utrunque erit consentaneum. Post hunc, in pluribus alijs libris De operationibus animalibus disseruimus. Sed quoniam ad earum demonstrationes non parum conferunt quæ per sectiones ostendũtur, in illis exercitari oportet. Est autem maximè inter alios utilis ille tractatus, qui De sectionũ aggressibus inscribitur. Alij autem sunt post eum plures, duo quidem De discordia sectionis, unus uerò De sectione mortuorum: post quos sequuntur hi, in quibus agitur de sectione uiuorum. In alijs uerò quibusdam particulatim ob eos scripsimus qui introducuntur, De ossibus. Sectio quoque musculorum & neruorum, & arteriarum & uenarum, & quædam alia huiuscemodi ex eodem numero existunt: & liber etiam in quo quæritur, Nunquid in arterijs continetur sanguis naturaliter? Qui uerò earundem partium operationes demonstrant, duo quidem sunt, De motu musculorum: tres autem, De pectoris & pulmonis motu. Post quos sequitur liber De causis respirationis. Post hunc, liber De uoce. De principatu autem animæ, & de omnibus alijs quæ de naturalibus uel animalibus operationibus in quæstionem trahuntur, in longo scripsimus libro, qui De dogmatibus Hippocratis & Platonis inscribitur. Ad eiusdem generis contemplationem pertinet liber De semine seorsum conscriptus, & amplius De sectione secundum Hippocratem. Quos omnes ordine sequitur tractatio De utilitate partium. Ad dignoscendas autem ægritudines utilis est liber ille, in quo De membrorum passionibus agitur. Itidem ille, in quo De pulsibus scribitur, in quo & præcognitiones edocemus. Librum uerò De pulsibus præcedunt alij duo, alter qui De usu respirationis, & qui De usu pulsuum. Is uerò De pulsibus in quatuor diuiditur partes: primam, quæ eorum differentias: secundam, quæ dignotiones: tertiã, quæ eorum causas: quartam, quæ illam quæ per eosdem fit, continet præcognitionem. Ex eodẽ genere est ille qui ijs qui introducuntur De pulsibus scriptus est. At uerò in animo est alium scribere librum, ueluti quoddam omnium istorum compendium, quem inscribam uel Artem de pulsibus, uel cõpendium. Ad hanc quoque iuuant contemplationem, quæ à me exponuntur, & simul indicantur in libro Archigenis De pulsibus. Ad præcognitionem autem plurimum confert liber De crisibus, id est decretis naturæ: quem præcedit alter De decretorijs diebus. Sed liber etiam qui De difficili anhelitu inscribitur, & ad dignoscendum præsentem affectum, & ad præscienda bona uel mala quæ ægrotanti sunt euentura, conducit. Hi igitur omnes, atque unà cum ipsis tractatus quidam uno tantum libro comprehensi, cognitu utiles sunt: sicuti illis qui De præincipientibus causis inscribitur, & De medicinali experientia, & De extenuante uictu, & qui De uenarum sectione ad Erasistratum, & qui De tumoribus prҫter naturam, & qui De multitudine: atque alij præterea similes. Præ cæteris autem ad curandi scientiam maximè necessarius existit, qui De morborum differentijs agit, & De accidentibus: & tertius præter illos, in quo morborum causas explicauimus. Post quos sunt tres alij qui accidentium causas explanant. Sunt etiam De medicamentorum simplicium uiribus libri, de quibus suprà meminimus. Et qui De medicamentorum compositione, quos sequuntur libri De arte curandi, his qui De salubribus inscribuntur, seorsum à nobis conscriptis. Quòd uerò ante hosce omnes prius

prius exercitari oporteat,in libris De demonſtratione, ſi quis hanc artem ſit cum ratione tractaturus, monſtratum eſt à nobis in libro qui De optima inſcribitur hæreſi. De alijs autem libris & commentationibus à nobis ſcriptis,tranſigere nunc minimè neceſſarium, quum de hiſce omnibus alibi ſimus tractaturi,in uno fortaſsis aut duobus libris,qui ita inſcribentur:Galenus de uoluminibus ab eo conſcriptis.

ARTIS MEDICINALIS CL. GALENI, FINIS.



ARTIS MEDICINALIS GALENI Capitum Index.

FINIS.

A

C

Medici-

FINIS.

IN ARTEM MEDICINALEM GALENI, ΔΙΑΛΥΣΕΙΣ.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

QVEMADMODVM in anatome humani corporis non tantùm ea quæ sensibus sunt exposita considerantur, uerùm etiam ea quæ intus latent: neq; cõmunia tantùm, sed ea quoq; quæ in quouis corpore propria reperiuntur: Ita etiam in ἀναλύσει, seu potius διαλύσει eorum quæ à præclaris authoribus scripta sunt, artificij non uulgaris tantùm, sed etiam latentis ratio est habenda. quandoquidem sæpe fit, ut quædam deficiant, quædam redundent. Hoc igitur à nobis quoq; in præsentis libri διαλύσει obseruandum erit. Verùm ne illotis manib. rem tantã aggrediamur, prius ea quæ προλεγόμενα uocantur cõsideremus, ad duo summa capita illa reuocãtes, nimirum ad rei quæ tractatur & docetur essentiã, siue, ut ita loquar, ad substantiã libri, deinde uerò ad nomen ipsum siue inscriptionem, quæ uelut ὁμοίωμα est eius, quæ in nostro intellectu de re tractãda latet, conceptionis. Consideremus ergo in cõmentario, quem præ manibus habemus, tum

- **Nomen** siue inscriptionem, quæ totius libri materiam potestate in se continere debet, non aliter, quàm nomen essentiam rei imitatur, cuius est nomen. Inscriptio talis est:
  - GALENI. Galeni hunc esse librum, ostendit tum τάξις siue ordo, artificiosa uidelicet dispositio, cuius post Aristotelem solus ferè Galenus rationem & usum nouit: tum materia siue res quæ tractatur, cum Galeni dogmatibus consentiens. Λέξις nihil momenti affert. nam cùm ordo definitiuus, quo hîc utitur, breuitatem amet, non potuit Asiaticum suum characterem sequi: quo tantopere delectatur, ut etiam, ubi breuissimus esse uult, plus quàm par sit prolixus fiat. Porrò ex materia quæ tractatur, ex τάξει qua docetur, ex λέξει per quam explicatur, omnia omnium authorum scripta dijudicari & discerni possunt. neque tamen interim alias coniecturas reijcimus. Quis sit Galenus, quo genere, qua professione, ex eius uita petatur.
  - ΙΑΤΡΙΚΗ, uidelicet τέχνη. Breuissima inscriptio per adiectiuum fit, quod præsupponit substantiuum. Est autem legitima inscriptio, ut ex quinto de Sanitate tuenda colligitur. Arabes Μικροτέχνην uocant, magna fortassis ratione, sed uitiosa & inepta cõpositione. Verùm quia Ars est collectio præceptorum uariorum ad eundem finem tendentium, ideo κατ' ἐξοχὴν liber iste, in quo totam artem medicam per conclusiones tradit, Artis medicinalis nomen meruit.
- **Rem** siue materiã, quæ tractatur atque docetur in toto libro. Id'que rursus duobus modis: uel
  - **Respectu** aliorum librorum, qui de materia medica ab eodem authore scripti sunt, ut quem inter se mutuò ordinem habeant, qui priore, qui posteriore loco legendi sint, sciamus. Vide epilogũ huius libri. In præsentia satis sit scire, medicorum librorũ Galeni alios quidem complecti
    - **Partem** artis. De quorum numero & dispositione, ut dixi, Galenus in epilogo huius libri ex professo agit. Possunt autem ad compositiui ordinis regulas disponi.
    - **Totam** artem breuiter & cõpẽdiosè, ordine uel
      - **Resolutiuo**: Liber de constitutione artis medicæ ad Patrophilum.
      - **Definitiuo**: Ars medicinalis. Cùm ergo totam artem complectatur, per se sola absque aliorum librorũ connexione legi potest. Itaque & memoriæ eorum qui iam didicerunt inseruit, & isagoges loco esse potest ijs qui sub docto præceptore discere cupiunt.
  - **Per se**, quatenus docetur. Doctrinæ ueluti effectus est ipsa scientia. Scire est, per causam cognoscere. Inter causas & effectus prius est et posterius: quorũ habitudo est ordo, ueluti anima rei quatenus docetur. Ordo ergo hîc inuestigandus. Qui duplex est, prout etiam duplici instrumento quæuis res docetur. Ordo enim libri huius alius est
    - **Rhetoricus**, qui nõ tam ex rei natura, quàm personarum circumstãtijs deducitur. diuidimus ergo librũ hũc in tres partes, in
      - **Procemium**: in quo ordinem logicum explicat.
      - **Tractationem**: in qua Medicinæ definitionem proponit, & singulas illius partes per διάλυσιν declarat.
      - **Epilogum**: in quo librorum suorum catalogum recenset, ut ex ijs plenior declaratio eorum petatur, quæ in hoc libro breuiter dicta sunt.
    - **Logicus**, qui ex rei solius natura depromitur. Ordo ergo hîc est Definitiuus, ut in ipso procemio Galenus declarat, & nos in Tractationis generali dispositione indicabimus.

PROOEMIVM, SEV PRIMA PARS ORDINIS RHETORICI IN HOC LIBRO.

NON Rhetores tantùm in causis suis Exordio utuntur, sed Medici quoq;, ut & alij artifices, Rhetorum præcepta secuti. Itaque cùm Medicinam totam hoc libro complecti uellet Galenus breuiter & cõpendiosè, prius instituti sui rationem indicare uoluit, deinde etiã modũ siue ordinem. Quare PROOEMIVM hîc habemus, ut uocant Rhetores, οἰκεῖον, quod à nulla re externa sumitur, sed ab ipso ordine Definitiuo, qui uelut anima est artis Medicæ in hoc saltem libro traditæ, quatenus docetur. Cæterum ut apertius intelligeretur, opus quoque fuit aliorum ordinum naturam declarare. Sic Aristoteles in procemio physicorum ὁδὸν tractauit διδασκαλικήν, in proœmio lib. de Anima, methodos. De Ordinibus ergo in hoc Proœmio agit Gal. breuiter quidem & succinctè (fortaßis enim in libris de Demonstratione fusius omnia tractauerat) sed perspicuè tamen. Et hic solus locus, ex omnibus Galeni & Aristotelis scriptis de Ordine, nobis conseruatus est. Itaq; ut ad rem accedamus, Galenus in hoc proœmio captat

- **Docilitatem**, hoc est, quid docere uelit, declarat. Qui docet, docet ordine aliquo. Quare in docilitate ista sunt duo perpendenda. Nempe
  - **Personæ**, tum docentis tum discentis. Quæ in utroque istorum requirantur, ex cap. octauo, de Constitutione artis, petatur.
  - **Res ipsa** quæ docetur. In hac rursus duo consideramus: uidelicet
    - **Materiam** subiectam, de qua agere instituit. Ars tota medica, non aliqua tantùm artis particula.
    - **Formam** siue animam rei quatenus docetur, Ordinem uidelicet. nam sine illo doctrina nulla est, nisi æquiuocè tãtùm. Quod ex Gal. uidemur hoc in loco colligere: quòd scilicet alia doctrina sit
      - Ἄτακτος, τάξιν οὐκ ἐχομένη, ordine carens, quæ nec causarum nec effectuum rationem habet, nec scientificam, sed historicam tantùm cognitionẽ parit: quare impropriè tantùm Doctrina dici potest, & Peritia quædam seu cognitio ἄτεχνος. Nostri hæc non est instituti: nam optimus Medicus philosophus quoque esse debet, & in Demonstratione optimè uersatus.
      - Εὔτακτος. Vide in seq. signum ✣
- **Beneuolentiam**, ex suis laboribus, quòd uniuersam Medicinam triplici ordine complexus sit. Definitiuo quidem in hoc libro, Herophilios & Erasistratæos quosdam imitatus. Resolutiuo uerò, in libro de Cõstitutione artis: & nullus ante Galenum hoc ordine usus est, in medicina uidelicet docenda: nam ante Galenum Aristoteles ordine resolutiuo actiuam philosophiam tradidit. Compositiuo deniq; ordine Medicinam posse ex suis libris reliquis constitui, hoc in loco monet, & nos in Epilogo huius libri ostendemus. Inseruiunt enim (inquit Gal.) triplici ordini: nam cùm diexodicè sint scripti, ex illis artis præcepta, breuiter in Arte medicinali & in libro de Constitutione artis tradita, possunt declarari: possunt deinde, si omnes congerantur, iuxta ordinis Compositiui seriem disponi.
- **Attentionem**, ex dignitate ordinis Definitiui. Confert enim illum non cum Compositiuo (hic enim omnibus præstat & tempore, & natura, & ordine, & dignitate) sed cum Resolutiuo. Ordo igitur Definitiuus
  - **Vincit** Resolutiuum tum ratione
    - **Naturæ** seu essentiæ ordinum, nimirum
      - **Dignitate.** Tota enim definitio dignior est parte qualibet.
      - **Ordine,** nõ primæ apprehẽsionis, sed secundæ, quãdo ab uniuersali definitione ad particulares causas progredimur.
    - **Personarum.** Quem modũ prioris Arist. neglexit, ὡς μὴ οἰκεῖον. Itaque ratione
      - **Docentis,** præstat memoria.
      - **Discentis,** præstat compendio.
  - **Vincitur** à Resolutiuo tũ
    - **Tempore,** quia priùs finis & est & cognoscitur, quàm tota definitio.
    - **Natura.** Quia si finis est, non tamen definitio erit: ille enim rei est, hæc intellectus.

✠ Εὔτακτος, τάξεως ἐχομένη, ordinem habens ueluti animam, per quam animatur, est, & nomen obtinet, ut Doctrina propriè dici poßit. De qua nos hoc in loco. Vt ergo διδασκαλία est, ita ab σύγχυσις differt: ut autem εὔτακτος, ita ab ἀτάκτῳ. Porrò τάξιν hîc intelligimus propriè sumptã pro dispositione generali totius artis: quæ dispositio quomodo ab ὁδῷ & μεθόδῳ differat, in commentario proprio explicabimus. Cæterùm ordo est Habitudo prioris ad posterius, causarum uidelicet ad effectus, principiorũ ad ea quæ à principijs sunt orta: ita quidem ut in omni ordine ꝑgrediamur à principijs ad ea quæ sunt orta à principijs. Verùm quia principia non eodem modo considerantur, ideo etiam ordines sunt uarij, ut Gal. hîc docet. Nos ad fontes singula reuocemus. Principia ergo artiũ aut

- Disiuncta & separata, uel reipsa, uel certè cogitatione intelliguntur. Principia autem sunt causæ. Vt igitur duo sunt in causis extrema, ita quoque duo ordines. Causæ enim aliæ sunt
  - Internæ, quæ rei essentiam componunt & absoluunt. Si naturam sequamur in compositione rerum, ex materia formam educemus, hinc tandem ad effectus progrediemur. Ordo ergo dicitur Compositiuus, & propter imitationem naturæ in compositione rerum, Naturalis.
  - Externæ, finis præcipuè, deinde efficiens. Finis enim in se causas reliquas complectitur, & ut intentione primus est in artifice, in opere uerò ultimus, ita cognoscentibus primus sese inter omnes causas offert. Quòd si ergo cognitionis nostræ primum obiectum sequamur, à fine exordiemur, & ex illo reliquas causas deducemus, deinde ad effecta progrediemur. Resolutiuus ordo dicitur, quia incipit à fine, eundemq́; resoluit: & quia constituit artes ex suo fundamento præcipuo, ex fine uidelicet, Constitutiuus dici poßet: denique inuentioni confert, non illi quæ sensu fit, sed quæ intellectu. Orditur autẽ à posteriori, id est à causa ultima, non (ut quidam opinantur) ab effectu, & progreditur ad effectus.
- Coniuncta simul intelliguntur, ut rei essentiam siue τὸ τί ἦν εἶναι cõstituunt. Proponitur ergo Definitio, & illa demum dissoluitur: in qua dissolutione omnes causæ, accidentia & effectus artis explicantur. Ordo dicitur Definitiuus, quia à definitione incipit. Quam definitionem intelligat, Gal. hîc declarat. Definitio uel est
  - Rei: duplex itidem, Vel
    - Οὐσιώδης, de qua nos hîc, quæ definiti causas internas & essentiales continet.
    - Ἐννοηματικὴ, quæ sumitur ex accidentibus, tam separabilibus, quàm inseparabilibus, ex quorum multitudine ὑπογραφὴ potius oritur, quàm Definitio. Nomen autem habet, quia definiens accidentia omnia perpendendo ἐννοεῖ, id est discurrit: & proinde etiam Notionalis uocatur, quia rem per notas describit, non autem definit.
  - Nominis: ὀνοματώδης, seu ὀνοματικὴ, aliàs Etymologia.

TRACTATIO, SIVE SECVNDA PARS ORDINIS RHETORICI.

GENERALIS DISPOSITIO PARTIVM MEDICINÆ ORDINE definitiuo traditæ in hoc libro.

TRACTATIO, secunda pars ordinis Rhetorici, rem ex suis causis, effectibus, accidentibus declarat, continuo ductu & serie. Quapropter Latinis quasi tractus, siue ut alij uocant contextus, Græcis εἱρμὸς dici potest. Continet ergo totam artem medicam, ordine definitiuo traditam. Obseruandæ porrò sunt partes ipsius ordinis, iuxta quas tota tractatio distingui debet, secundùm ueræ logicæ præcepta. Itaque in ordine definitiuo duæ sunt partes præcipuæ.

- **Prima**, est ipsa definitio eius scientiæ siue artis quæ tractanda uenit. Interdum autem definitio absolutè primùm proponitur, interdum fundamenta eius constituendæ iaciuntur, ut in arte Rhetorica Aristoteles fecit. Hîc uerò nudam definitionem absolutè ab initio proponit, quòd Medicina sit scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum.
- **Secunda**, est explicatio singularum partium definitionis. Quam, ut in Procœmio monuit, & dissolutionem (propriè) & resolutionem, & diuisionem, & explanationem, & expositionem definitionis licebit appellare. Quæ tanti est momenti, ut interdum ex hac sola definitiuus ordo nomen habeat, & definitionis dissolutio appelletur. Porrò quia ὁδὸς διδασκαλικὴ præcipit, ut in difficiliore argumento à generalibus & confusis ad particularia & distincta progrediamur, idcirco in hoc quoq; libro duplex est definitionis medicinæ explicatio. Altera
  - **Generalis**, in qua terminos siue uocabula, quibus in definitione usus est, rudi minerua explicat. Cap. 1.
  - **Particularis**, à secundo capite usque ad finem libri. Vbi quidem illud obseruandum est, Barbaros librum hunc in tres diuisisse, pro uarijs definitionis particulis, quas explicat: in primo corpora, in secundo signa, in tertio causas. Verùm cùm ordo definitiuus breuitate delectetur, nō erat opus hac diuisione noua, præsertim cùm sit præter Galeni institutū. Diuisio enim quæ fit per libros, uel σαφηνείας, uel elegantiæ, uel κρύψεως causa instituitur. Hîc autem in tanta breuitate nec prolixitas tædium, nec membrorum distantia obscuritatem parere potuit: neque etiam κρύψις hîc locum habet. Porrò sectio quæ fit per libros, dispositionem Ordinis complectitur ut plurimū: quæ per capita, dispositionem Methodi: quæ per contextus aut paragraphos, partes Methodi continet, utilis quidem, sed nimis tamen curiosa. Nos διαλυτικὴν τέχνην secuti, neglecta diuisione per libros, secundùm capita diuidemus, paulò aliter quàm Leonicenus, ne dum nimiū diuidere cupimus, more imperiti coqui membra dilaniamus. Explicat ergo Gal. salubria, insalubria & neutra tum
    - CORPORA: de quibus capite II. agit. Qui primus liber est, iuxta Barbarorum diuisionem.
    - SIGNA: de quibus à capite III. usque ad cap. XXXII. Qui secundus est liber, iuxta Barbarorum diuisionem.
    - CAVSAS: de quibus à cap. XXXII. usque ad Epilogum. Qui tertius est liber, iuxta Barbarorum diuisionem.

CAPVT PRIMVM. GENERALIS EXPLICATIO PARTICVlarum totius definitionis.

- **Ordinis** *Definitiui ea est ratio, ut definitionem proponat, deinde explicet. Primùm ergo in hoc capite, nullis fundamentis iactis, definitionem proponit, Esse scientiam salubriū, insalubrium, & neutrorum. Explicationem definitionis instituit generalem. Et quidem*
  - **Primò** *declarat uim uocabulorum in definitione positorū. Pro quorū intelligentia illud est notandū, quòd definitio* οὐσιώδης *omnes causas comprehendit, non nudas, sed methodo logica uelatas Atq; ut essentia rei in materia & forma, tanquam in causis internis cōsistit, ita quoq; instrumentū hoc logicum habet genus pro materia, & differentiam pro forma. Neq; tamen necesse est ut genus sumatur à materia tantùm, aut differentia à forma tantùm, sed miris modis hæc uariāt, pro diuersa rei natura. Sic ergo in definitione Medicinæ habemus*
    - **Genus**, *ueluti materiam communem, in qua medicina cum multis alijs facultatibus cōuenit, uidelicet quòd sit Scientia, impropriè tamen & cōmuniter sumpto uocabulo scientiæ. Nam ut ex 6. Ethicorum discimus, scientia (quæ habitus est intellectus nostri acquisitus ex intellectus & intellectæ rei conuenientia) duobus modis sumitur, uel*
      - **Propriè**, *pro cognitione conclusionum per suas causas & principia, necessaria, æterna, quæq; nunquam fallere possunt.*
      - **Cōmuniter**, *pro quauis cognitiōe uel effectuum, uel cōclusionū per suas causas. Siue obiecta sint*
        - **Contingentia**. *Sic rursus alia cognitio est*
          - πρακτική. *Cuius habitus est Prudentia.*
          - ποιητική. *Cuius habitus est Ars. Sic hoc in loco medicina scientia esse dicitur, factiua scilicet: ut in primo capite de Constitutione artis dicemus.*
        - **Necessaria**. *De his cognitio habetur uel*
          - **Simplex**, *hoc est, uel tātùm*
            - **Principiorum**. *Dicitur* Νοῦς.
            - **Conclusionū**. *Dicitur* Ἐπιστήμη *propriè.*
          - **Cōposita**, *principiorum simul & conclusionum. Dicitur* Σοφία.
    - **Differentiam**, *ueluti formam logicam definiti, quæ separat medicinam à reliquis artibus. Est autem duplex differentia: altera sumitur à medicinæ forma, quòd sit salubriū, insalubriū & neutrorū: altera à materia subiecta, quòd sit corporum, signorū et causarum. Forma posita, ponitur & materia. Quare in definitione satis habuit, formalē tantùm differentiā assignare, per quā differt etiā à physiologia naturali philosophi. Philosophus enim formam hāc considerat uelut accidens còrporis: at medicus ad finem refert, ut circa subiectū operetur. Proposita ergo differentia ista formali, Galenus considerat tum*
      - **Nomina** *in definitione posita, quid sibi uelint, Salubre, Insalubre, et Neutrū.* τὸ ὑγιεινὸν καὶ νοσῶδες *ea dicuntur, quæ quomodolibet sanitatem habent, uel per se, ut corpora: uel per accidens, quia aut indicant, ut signa, aut efficiunt, ut causæ.* τὸ ὑγιὲς *uerò &* νοσερὸν *de corporibus tantùm propriè dicuntur, quæ actu uel sanitatē uel ægritudinem possident. Itaq; cùm definitionem breuem, perfectam, & perspicuā esse oporteat, Galenus omnia comprehēdere uolens, salubrium, insalubrium et neutrorū scientiam esse dixit, ut sic non corpora tantùm, sed signa quoq; & causas (quæ per se nec salubria nec insalubria nec neutra sunt, sed per accidens tantùm, respectu corporis cui accidunt, in quo uel efficiunt uel indicant talem affectionem) complecteretur. Cùm igitur ex corporis affectu signa quoque & causæ tales dicantur, ideo nihil referre ait Gal. si loco* ὑγιεινῶν, καὶ νοσωδῶν*, in definitione substituas* ὑγιὲς, καὶ νοσερὸν*. hoc est, perinde esse, siue solum subiectum corpus ponas, siue etiam signa & causas.*
      - **Rem ipsam**. *vide in seq. signum* †
  - **Secundò**. *Vide in seq. signum* *

* Secundò dubitationes mouet. Sic etiam Aristoteles sæpe proposita primùm rei natura, ex illa deinde omnes quæstiones soluere consueuit. Quando quidem multa, quæ cōmodè alioqui tractari non poterant, instar corollarij dubitando afferri possunt. Dubitationis ansam ex Menone Platonis (ut & in proœmio primi Posteriorū Aristoteles) desumpsisse uidetur. Medicina sciētia est salubriū, insalubrium, neutrorum, corporum, signorum, causarum. Non omnium, quia illa sunt numero infinita. Non quorundam tantùm, sic enim imperfecta esset scientia, neque uniuersalis. Quid ergo? Est ὁποίων, id est, qualium. Quasi dicat: Omnia ea quæ salubria sunt, insalubria & neutra, atq; adeo propter has qualitates dicantur qualia, medica ars suo ambitu comprehendit, & Medicus illa cognoscit, si non actu, saltem potentia, quia si sensui obijcerentur, eorum cognitionem haberet. Naturam igitur qualem, hoc est, qualitate hac imbutam nouit, quamuis indiuidua his qualitatibus prædita singula non norit, neque enim in omnibus exerceri potest. Hæc autem est ὁδὸς διδασκαλική, seu Methodus, impropriè dicta, ut in libris Methodi medendi definit, ὁδὸς μία καθόλου, κοινὴ τῶν κατὰ μέρος.

† Rem ipsam, salubritatem, insalubritatem, & neutralitatem, quæ medicæ artis formam absoluūt. Nam Medicus istorum accidentium merito corpus humanum considerat. Omne porrò accidens præsupponit substantiam cui inhæret. Itaq; hoc in loco cum Galeno examinabimus tum

- Subiecta quibus accidentales istæ formæ conueniunt. Subiecta ista
  - Primò enumerat, & tria numero cōstituit, corpora, signa, causas. Salubritas enim & insalubritas in istis consistunt uel
    - Primò & per se, ut sint ueluti formæ accidentales, secundùm quas subiectum & nomen & essentiam habet. Sic CORPORI conueniunt affectiones istæ, & inde corpora dicuntur propriè salubria, insalubria & neutra.
    - Per aliud, & per accidens, respectu corporis. Per se nec salubria nec insalubria, sed quia uel
      - Efficiunt salubritatem aut insalubritatem in corpore: dicūtur CAVSAE uel salubres uel insalubres.
      - Indicant affectiones istas in corpore latentes. Symptomata, quia accidunt: uerùm quia indicant, dicuntur SIGNA.
  - Secundò confert inter se, cùm de illis analogicè tātùm, non uniuocè, affectiones istæ prædicātur, prius scilicet de uno quàm de altero. Consideran tur uel
    - Κατὰ τὸν πρῶτον λόγον, id est, quatenus Medicina est scientia, sic priores sunt causæ, deinde corpora qualitatibus seu formis suis uestita, ueluti effectus, tandem symptomata ueluti signa.
    - Κατὰ τὸν δεύτερον λόγον, id est, quatenus Medicina non tantū est scientia, propter uniuersalia præcepta, sed etiam est factiua, & in opus progreditur (Actiones hîc uocat) sic primùm illi occurrit corpus affectum, deinde affectio per signa cognoscitur, tandem causæ inquiruntur. Quem ordinem in hoc libro seruat, ut insinuet, esse ueluti enchiridion practicum. Ex hoc loco breuißimè tota ars consultationum medicinalium deduci potest.
- Formas ipsas siue affectiones, quatenus in subiectis diuersimodè reperiuntur, ut in particularium declaratione patebit. Hîc in uniuersum diuidit, quòd dicantur
  - Salubria & Insalubria vel
    - Simpliciter, uel
      - Semper.
      - Vt plurimum.
    - Vt nunc.
  - Neutra ratione uel
    - Communi cum prioribus, quòd scilicet sint neutra uel
      - Simpliciter, uel
        - Semper.
        - Vt plurimum, seu Multum.
      - Vt nunc.
    - Propria & peculiari. Neutrū enim uel
      - Semper utriusq; cōtrarij est
        - Particeps, & uel
          - Ex æquo, in particibus uel
            - Omnibus.
            - Aliquibus.
          - Non ex æquo.
        - Expers: dicitur neutrum per negationem utriusq; extremi.
      - Non semper utriusq; est particeps, sed modò huius, modò illius.

CAPVT II. PARTICVLARIS EXPLICATIO SINGVLARVM PARtium definitionis iam sequitur. Prima autem pars de CORPORIBVS agit.

Dissolutio *singularum particularum definitionis, nõ generalis & confusa, sed distincta & particularis, hoc in loco incipit. Dixerat in definitione, Medicinam esse scientiam salubrium, insalubriũ & neutrorum. Verùm quia formalis differentia absq; materia sua rectè intelligi nequit, à medico præsertim, artifice sensato, ideo formã, ut materiæ immersa concipitur, Gal. declarare uult, hoc est, non ut salubritas uel insalubritas per se consideratur, sed ut in corporibus est, in causis atq; signis. Primùm autem corpora tractat, tum quia primò de corporibus & per se dicuntur, tum quia* κατὰ τὸν ἀναλυτικὸν λόγον, *ut in primo cap. dixerat, à corporibus incipiendum est, deinde ad signa & causas transeundum: eo maximè, quòd hic Medico practico potius quã theorico, hoc est, q̃ præcepta ad usum & finem artis referre studet, enchiridion scripsit. Diuidit porrò corpora ea ratione, qua sub Medici contemplationem cadunt, nimirum quia salubria sunt uel insalubria. Tria quippe sunt bona corporis, inter quæ Sanitas internũ quid, proinde optimũ & præstãtißimum existit: Pulchritudo uerò & Actionum bonitas externa sunt, & uelut indicia sanitatis à qua profluũt. Siquidem sanitas in similarium* εὐκρασία, *in dißimilariũ* συμμετρία, *et in utrarũq; partium* ἑνωσία *cõsistit. Verumenimuerò corporũ tractatio seu diuisio ratione accidentium formaliũ huius loci diuersa est ab ea quam infrà in signis instituet. Quod quidẽ optimè notari debet, ne sophistæ nobis imponant. Corporum enim diuisio secundùm salubritatem & insal. fit uel iuxta*

- **Essentiam** *& naturam rei, quatenus sanitas & ægritudo ratione intelligi & cõprehendi possunt simplices & impermixtæ formæ corporibus immersæ. Talem diuisionẽ hoc in loco Gal. instituit. Vbi quidem illud obseruandum, salubritatẽ & insalubritatẽ esse extrema contraria, non secus ac lux & tenebræ, quæ ex sui natura nil habẽt medij, sed pro uaria receptione in corporibus medium uidẽtur admittere. Ita quidem, ut corporũ alia statuamus*
  - **Salubria**, *quæ sanitatem habent in toto et singulis partibus, bonam uidelicet temperiẽ similarium, & bonam cõpositionem organicarũ, & in utrisq; partibus rectam unionem. Vtitur autẽ Gal. cõiunctione, quoniam ad salubritatem constituendam omnia tria requiruntur. Diuiduntur rursus à medico, qui sanitatem conseruare, morbum abigere tentat: morbũ non nisi per cõtraria, etiam in gradu: quem scire nequit, nisi quantus sit lapsus à naturali temperamento cognoscat. Proinde primò præterita siue naturalis constitutio corporũ, deinde præsens perpendenda est, & ex his fontibus diuisio corporum instituenda, quòd salubritas illorum uel est*
    - **Naturalis**, *siue à primo ortu naturæ insita & complãtata corpori. Dicũtur simpliciter salubria, hoc est, ex se talia, nullius alterius externi adiumento. Definiuntur ex optima agendi potentia, & potentia quoq; resistendi causis externis ualidißima. Neq; uidẽtur sub Medici cõtemplationem cadere, nisi quatenus* διαίταν ὑγιεινὴν *illis præscribit. Salubritas ergo ista rursus uel est*
      - **Exquisita**, *ita ut melior dari & inueniri nequeat, optima temperies, optima commensuratio. Proinde aptum natum est toto uitæ curriculo sanũ degere. Dicuntur ergo hæc corpora salubria simpliciter & semper. Actu non dãtur, sed cogitatione ueluti regula Polycleti comprehenduntur.*
      - **Non** *exquisita, sed parum ab optima & exquisita deflectens. Corpora dicuntur salubria simpliciter & multum. neque enim per totam uitam sana degunt, sed plurimo tempore, & quo propinquiora sunt generationis principijs, eo quoq; ualentius morbificis causis resistunt.*
    - **Aduentitia**, *non ab ortu naturæ talis, sed à causis externis proueniens, quæ internas immutare & alterare possunt. Atq; ut principia huius salubritatis inconstantia sunt, ita quoq; dicuntur salubria non simpliciter, sed ut nunc, hoc est, quæ in præsenti tempore sana existunt, non optimam habentia temperiem & conformationem, sed bonam tantùm & sibi propriam. Et hæc sanè corpora sunt circa quæ medicus occupatur, quòd eius opera maximè indigeant. Nam non semper, nec multum, sed nunc tantùm salubritate fruuntur, breui uidelicet tempore: tempus enim numerus est motus, hoc est sanitatis, per ætatis decursum sensim decidentis.*
  - **Insalubria**, *quæ uel in toto, uel in singulis partib. habent uitium aliquod, siue ratione tẽperiei, siue cõpositionis, siue unitatis, siue omniũ simul. Vtimur hîc disiunctione, quòd ad sanitatẽ cõstituẽdam omnia requirãtur, ad eandẽ tollendam etiã unum satis esse poßit. Diuiduntur eadem ratione, qua & salubria. Est enim insalubritas uel*
    - **Naturalis**, *quæ ab ortu naturæ corporibus insedit ex peßimo semine & menstruo. Reddit corpora insalubria simpliciter, quoniam principia constitutionis insalubria sunt, & natura uitiata est. Cùm autem Medicus naturam immutare nequeat, circa hæc non ualde laborat, sed prognosticis relinquit. Porrò insalubritas ista uel est*
      - **Exquisita**, *præsertim si uel totum corpus, uel certè partes principes ea sint infectæ. Corpora efficiet simpliciter & semper insalubria per totum uitæ curriculum.*
      - **Non** *exquisita, si nõ in toto, aut in partibus minus principalib. subsistat. Corpora efficit simpliciter & multũ insalubria, quia naturalis intẽpertes mutari nequit, quinimo sensim aliæ quoque partes inficiuntur.*
    - **Aduentitia**, *ex causis externis. Insalubre ut nunc. Circa quod Medicus occupatur, ut illud curet, remotis causis.*
  - **Neutra.** *Vide in seq. signum*
- **Cognitionem.** *Vide in seq. signum*

☞ **Cognitionem** *Medici, hoc est, quatenus corpora à Medico hac uel illa qualitate affecta intelliguntur, & cognoſcuntur ex ſuis ſignis, nimirum ex actionibus & paßionibus. Sic paulo aliter ſalubritatis, inſalubritatis & neutralitatis ſignificatio ſumitur, quàm eſſentia ipſorum admittat: nam Medicus non tantùm artifex eſt, ſed etiam ſenſu nititur: nec tantùm in ſui natura corpora perpendit intellectu, ſed etiam inquantum ſenſibus ſubijciuntur. Quod cap. 3. ubi de ſignis agetur, docebimus.*

☞ **Neutrum** *corpus ex prioribus ueluti cõpoſitum & medium cõſurgit, quoq; magis ad alterũ extremorum receſſerit, eo magis intra latitudinem uel ſanitatis uel ægritudinis cõprehenditur. Quod quidẽ philoſophi dari negant, quoniam ſanitatem & ægritudinem formaliter conſiderant, quemadmodum inter lucem quoq; & tenebras medium nullum eſt, quatenus in ſui natura à corporibus abſtracta intelligũtur. Medici uerò, qui uariam receptionem ſanitatis & ægritudinis in corporibus obſeruãt, ex actionum inſenſili læſione (hoc eſt, quæ ab eo qui neutrum habet corpus non percipiatur, ſed à medico tantùm, ex ſignis artificioſis) cõſtitutionem neutram ponunt, non tamen pro indiuiſibili termino inter ſalubritatẽ & inſalubritatem, ſed pro diuiſibili, quem terminũ metiatur actionum læſio non manifeſta. De quo quidem infrà cap. 3. clarius. Supponamus itaq;, neutrũ eſſe mediũ inter ſal. & inſal. atque adeo participare utroq;: deinde colligamus neutri corporis tum*

- **Eſſentiam,** *quòd ex duob. extremis ſit compoſitũ. Proinde Galenus in illius definitione nec temperiei, nec compoſitionis meminit, quia præſuponit ex præcedentibus hæc cognita eſſe, deſcribit tãtùm ex tempore & efficiente. Nam ut ſalubritas & inſalubritas, ita quoque neutralitas uel eſt*
  - **Naturalis,** *à primo naturæ ortu. Dicitur ſimpliciter neutrũ. Vt medium eſt inter extrema, ita quoq; habet propenſionẽ ad utrũque. Proinde Medicus circa hoc uerſatur, ut ægritudinem arceat, ſanitatem introducat, neutralitatem ipſam in melius commutando. Viuit autem neutrum hoc corpus uel*
    - **Semper:** *dicitur ſimpliciter neutrum. Niſi aut cura medici ad ſanitatem conuertatur, aut uehementia cauſarum procatarcticarum ad inſalubritatem tranſeat. Ferè tamen, cùm operationum læſionem euidentem non percipiat, ſalubre eſſe creditur, & propterea Medico ſe non committit.*
    - **Multùm:** *dicitur ſimpliciter & multùm neutrum. Quod in pluribus ætatibus, non tamen in omnibus, neutrum uiuit, nunc quidem ad ſalubritatem, nunc uerò ad inſalubritatem propius accedens.*
  - **Aduentitia,** *non natura, ſed per accidens & aliunde acquiſita. Dicitur neutrum ut nunc. Quod quidem propriè ſub Medici contemplationem cadit, ut illud uel præſeruet uel reficiat. Itaque à Gal. in lib. ad Thraſybulum, atq; etiã infrà cap 30. in ſignis neutris, diuiditur in neutrum*
    - **Ἐν ἕξει.** *Vocant neutrum Status, quia fruitur neutralitate firma: ut corpus ſenile.*
    - **Ἐν σχέσει.** *Dicitur neutrũ Trãſitus, quia in fluxu eſt continuo, nec firmã habet conſtitutionem, ſed deflectentem ad alterum extremorum. Eſt porrò tale uel*
      - **Ante** *morbum Neutrum in habitu decidẽtiæ. Quod quidẽ præſeruatione opus habet, alioqui in morbum incidet.*
      - **Poſt** *morbum. Neutrum nunc in habitu conualeſcentiæ. Quod quidem ſi non commodè reficiatur, recidiuam patitur.*
- **Reſpectum** *ad ſua extrema, cum quibus confertur. Sic igitur habet diuiſiones ſuas. Quarum tamen quælibet ratione eſſentiæ ſubdiuidi poteſt, ut iam ſuprà generaliter indicatum eſt. Ex quibus quidem cõplicationibus duodecim ſpecies corporis neutri emergunt. Itaque corpus neutrum conſideratur uel ut*
  - **Diuerſum** *eſt à ſuis extremis, & medium præciſè inter ſalubritatem & inſalubritatem, eiuſmodi tamen, quod non ſit indiuiſibile, ſed cum quadam latitudine: neque enim actiones habet aut euidenter læſas, ut inſalubre, aut omnino integras, ut ſalubre. Dicitur neutrum primi modi, ſeu per negationem utriuſque extremi: & in tempore præſenti tantùm reperitur à Medico teſtimonio ſenſus.*
  - **Compoſitũ** *quoddã tertium ex duobus extremis emergit. Nã ſalubritas & inſalubritas in corpore neutro reperiũtur uel tempore*
    - **Eodem,** *tunc ſcilicet quãdo neutrũ eſſe dicitur. Vocant neutrũ ſecundi modi, ſeu per participationẽ utriuſq; extremi. Cùm in toto corpore eſſe nequeant duo contraria, ſaltem ſunt in partibus diuerſis. Proinde corpus dicitur neutrũ per accidens tãtùm, ſcilicet ratione partiũ. Neutrum ergo eſt uel ſecundùm*
      - **Vnam** *partem tantùm, in qua utrunq; eſt extremum, non tamen eadem ratione. V. G. ſalubre in tẽperie, inſalubre in cõpoſitione: uel ſalubre in tempere actiuarum qualitatum, inſal. in paßiuis: uel in numero ſalubre, in ſitu inſalubre.*
      - **Partes** *diuerſas, quæ inter ſe pugnare poſſunt tum ratione temperiei, tum compoſitionis. Et quod in una parte accidit, multo magis in diuerſis partibus cõtingere poteſt.*
    - **Diuerſo.** *Dicitur neutrum tertij generis, ſiue per alternam ſucceßionem, quia aliquando huius, aliquando illius extremi particeps eſt, non in partibus tantùm, ut neutrũ ſecundi modi, ſed etiã in toto. Nam V. G. in toto Socrates uiuit æſtate ſalubriter, hyeme inſalubriter: adoleſcens ſalubriter, ſenex inſalubriter. Rurſus ſtomacho per hyemem laborat, æſtate bene ſe habet.*

CAPVT III. SIGNORVM THEORIA GENERALIS. QVÆ secunda est pars explicationis particularis nostræ definitionis.

SECVNDVS liber hîc incipit, iuxta Barbarorum diuisionem. Post corporum tractationē sequuntur signa, κατὰ τὸν δεύτερον λόγον. Signum porrò est accidens sensibile, essentiam rei uel remotè uel proximè concomitans, per quod affectiones corporis, quæ sensus effugiunt, cognoscimus. Itaq; ratione tantùm differt à symptomate. Nam quatenus accidit corpori, dicitur in ægro Symptoma, in sano συμβεβηκὸς absolutè: quatenus uerò indicat affectionem quam comitatur, dicitur Signū, siue necessariū sit & τεκμήριον, siue non necessarium, & nomine generis σημεῖον appelletur. His præsuppositis, accedamus ad theoriam signorum cōpendiosam, quantū in præsentia licebit. Quæ à Galeno duplex instituitur. Altera quidem

- **Generalis**, quæ totā signorum essentiā & singulas differētias persequitur. Signū ergo quia accidens est, necessario in corpore aliquo subsistit: deinde etiā qualitatē internam siue affectionem à qua dependeat necessariò requirit. Quapropter duplex Signorū subsistētiæ est ratio, materia seu subiectum in quo, et formalis qualitas, à qua. Duplex itidem erit ratio eorundem, quatenus indicant. Aut enim indicant
  - **Locum** affectum, ueluti materiam siue subiectum, in quo salubritas & insalubritas consistit, & eorundem quoque accidentia seu symptomata. Diuidi possunt, quòd uel indicent affectionem totius, uel partis. Vt infrà cap. 5. declarabitur.
  - **Affectionem**, ueluti formalem rationem corporis, quod medicus considerat, nempe uel sanitatē, uel morbum, uel neutralitatē. Sic rursus signa differūt. Alia enim affectionis indicant
    - **Accidens** inseparabile, Tempus uidelicet. Nā qa mouetur corpus, quando à sanitate ad morbū delabitur, uel ecōtra, habet necessariò sui motus numerū, qui est tempus. Vbi notandum, olim omnia signa dicta fuisse prognostica, etiam ab Hippocrate in primo Prognost. 5. quoniam prior erat cognitio signorum seu symptomatū in corpore, quàm ipsius affectionis, quia sensibus magis patēt. Postea uerò ut re distincta erāt, ita quoq; nominibus distincta sunt signa. Quorū quidem Gal. hîc declarat tum
      - **Naturam**. Indicant affectionem corporis uel
        - **Præsentem**, dicuntur Diagnostica.
        - **Præteritam**, Anamnistica.
        - **Futurā**, Prognostica, quatenus à medico cognoscūtur: Prorrhetica, quatenus prædicuntur.
      - **Vsum**. Cōfert inter se signa. Vtilia ergo sunt signa tum
        - **Per se**, hoc est ratione affectionis quam indicant. Quædam enim indicant
          - **Antecedentes** tum causas tum affectiones. Anamnistica.
          - **Præsentem** affectionem, seu essentiam affectionis, tam salubris quàm insalubris. Cuius cognitio maximi est momenti. Diagnostica.
          - **Consequentem** euentum. Prognostica.
        - **Per accidēs**, hoc est, ratione personarū ægri patientis, & medici agentis. Quædam ergo utilitatē præstant
          - **Magnam** uel
            - **Ægro**, Diagnostica.
            - **Medico**, Prognostica, quia cōmendant medici famam, & remediorū usum oportunū indicant.
          - **Paruam**, tam ægro quàm medico. Anamnistica.
    - **Essentiam**. Vide in seq. fig. #
- **Particularis**. Vide in seq. signum ✱

‡ Essentiam, quæ ex natura corporis inuestiganda est. Itaq; Gal. in cap. seq. (nos tamẽ cõmodioris doctrinæ gratia, & ex analyseos præscripto, in præsens caput transtulimus) nouam corporum diuisionem aggreditur, subobscurè tamen, clarius infrà cap. 35. diuersam ab ea quã suprà cap. 2. ex rationis præscripto protulit. Diuidit ergo corpora, quatenus in corpore Medicus duplicem potentiam, agendi uidelicet, obeundiq; functiones, & resistẽdi causis morbificis, sensu deprehendit: siue à primordijs generationis insitæ fuerint, siue ætatis progressu acquisitæ: siue similarium sint partium, siue dissimilarium, siue utrarunq;. Hîc generali nomine Actiones uocat, ἐνεργείας. Prout ergo actiones sunt uariæ quæ indicant, ita & corpora uaria: & uicissim ut corporum affectio uaria, ita quoq; signa ab eorundem affectione denominantur. Itaq; actiones corporum uel sunt

- Integræ, & uel
  - Optimæ, & in sui essentia uerè tales. Corpus uerè Symmetrum dicitur, neque actu datur, sed ueluti regula Polycleti à Galeno ponitur pro uno extremo. Signa illius dicuntur signa optimæ constitutionis.
  - Bonæ, quo ad sensum, nec in corpore in quo reperiuntur meliores reperiri possunt, respectu tamen symmetri non sunt synceræ. Corpus dicitur Salubre, & signa salubria.
- Læsæ. Efficiunt sanitatem culpatã, quæ non absolutè nec simpliciter, sed tantùm cum additione sanitas dici debet. Læduntur autẽ actiones uel
  - Non euidenter, quoniam ab eo qui tale corpus habet nulla percipitur noxa, sed à medico tantùm artificiosa coniectura deprehenditur. Corpus Neutrum dicitur, & signa neutra.
  - Euidenter, ut & medicus & patiens sentiat consuetas actiones lædi. siue læsio sit
    - Obscura, quia malè habent, nondum tamen decumbunt. Corpus Insalubre dicitur, & signa insalubria.
    - Manifesta, quia animal iam actu decumbit. Quod alterum extremum est. Corpus Ægrum dicitur, signa ægra.

(Bonæ, Non euidenter, Obscura:) Medium hoc est corpus, inter duo extrema, triplicem corporũ habens ordinẽ, quæ tamẽ omnia communi nomine salubria dicuntur, lata uocabuli significatione.

✻ Particularis, quæ generales differentias explicat & declarat. Cùm ergo signa sint signati signa, et symptomata necessariò in subiecto sint, ideo Gal. in explicatione signorum particularium eam seruat rationem, ut simul cum suo subiecto, cui inhæret, & cuius affectionem indicant, ea concipiat. Sic ergo differentias signorum à tempore assumens, cùm alia sint

- Diagnostica, quia indicant in corpore uel constitutionem
  - Optimam, de illis cap. IIII. agit.
  - Bonam quidem, sed tamen deflectentem ab optima, de illis à cap. V. usq; ad XXIII. Sumit autem insalubria tantùm, ex quibus & salubria & neutra quoque ratione consimili deduci possunt.
  - Pessimam & Ægram, de quibus à cap. XXIII. usque ad XXX. Neq; nouos fontes profert signorum, sed tantùm exempla quædam, quomodo ex ijsdem fontibus signorum medij corporis salubriũ, poßint signa quoque insalubria, hoc est ægra, corporis insalubris nunc, hoc est ægri (sic enim uocat) depromi.
- Anamnistica, quia parui sunt usus, & ex fontibus diagnosticorum pendent, magisq; à relatu ægri & astantium, quàm ab artificiosa coniectura medici deprehenduntur, nullam eorum mentionem facit Galenus.
- Prognostica, quæ prænunciant euentum præsentis affectionis & permanentiam, in corpore quidem
  - Neutro uel salubritatem futuram, uel morbum, illorum exempla quædam affert cap. XXX. Diagnostica quidem sunt, si neutralitatem spectes: sin uerò imminentem affectionem (quæ maioris est momenti) prognostica sunt dicenda.
  - Ægro uel salutem uel mortem, exemplis quibusdam hoc declarat cap. XXXI.
  - Sano firmam incolumitatem.

CAPVT IIII. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS CORPORIS optimè constituti.

Post *generalem signorum tractationem, particularis sequitur. Et q̃a signa ratione tẽporis primũ, deinde ratione subiecti diuidebãtur, idcirco Diagnostica primum optimæ cõstitutionis aggreditur. Corpus igitur symmetrũ siue optimè constitutũ illud est, quod tria corporis bona obtinet, sanitatem, actiones integras, & pulchritudinem, in toto simul & in omnibus partibus. Cùm autem constitutio ista ueluti forma accidentalis medici subiecti per se nequeat cognosci, Signis cognoscẽda est, quæ quidem indicent optimam constitutionem siue simpliciter talem ab ortu naturæ, et talem quoque uel semper uel multùm remanentem, siue ut nunc talem. Nũc enim de differentijs particularibus nõ sumus solliciti. Optimæ igitur cõstitutionis signa in hoc cap. à Gal. proponuntur, & simul fontes eorundem ac reliquorũ omnium in uniuersum declarantur, quos nos in præcedẽti cap. distinctioris doctrinæ gratia absoluimus. Signa ergo optimæ constitutionis sumuntur uel à*

- **Priori**, *nempe ab essentia, siue à causis constituentibus optimam hanc constitutionẽ. Quæ quidem cognitio ut difficilis est & ardua, atq; ferè soli Deo cognita, ita à Gal. hîc proponitur, potius ut declaret fontes à quibus signa reliqua dependent, & ad quos referri debent, quàm ut hoc modo nos corporum affectiones dijudicare posse existimet. Quod inde colligi potest, quoniã in sequẽtibus nullibi amplius signa ab essentia sumit. Signa ergo sumũtur ab ijs quæ secundùm essentiæ rationem insunt corpori optimè constituto, hoc est ab ipsa Sanitate, quæ trium corporis bonorum præstãtissima est, ab huius inquam causis signa depromũtur. Sed quænam sunt causæ huius sanitatis siue constitutionis optimæ? Corpus ex organicis partibus componitur, hæ ex similaribus, similares ex semine & menstruo, hæc ex elementis oriuntur. Elementa, quia principia, uim suam imprimunt mixtis. Quare etiam corpus humanum ex elementis (quatenus mixtum est, non quatenus animatum) sumit aliquid tum ratione*
  - **Formæ** *seu qualitatum quæ consequuntur formam: sic habet Temperaturam, quæ definitur esse terminus & perfectio mixtionis, accidens corpori mixto, ex mutua actione & paßione elementarium qualitatum. Vt ergo similares partes primæ sunt quæ ex elementis cõponuntur, ita quoq; in illis elementaris hæc temperatura conspicitur. Proinde temperies similarium in corpore optimè constituto medium exquisitè occupat, ueluti centrum, ut quæcunq; aliæ aliorum corporũ temperaturæ illi comparatæ dici poßint intemperatæ. Atq; ut media est, ita omnes aliæ qualitates ei aduersantur, nulla conuenit. Quare etiam corpus optimè constitutũ, quod* εὔκρατον *dicitur propriè, merito huius temperaturæ, à nulla simili qualitate patitur (quod temperaturis inæqualibus accidit) sed à dißimili & contraria tantùm. Si uel temperaturam hanc mediam uel inæquales reliquas in singulis partibus quis cognosceret, non homo sed Deus dici mereretur, atq; adeò immortale posset corpus conseruare.*
  - **Materiæ**, *quæ quãta est, & uaria, prout etiam formæ elemẽtares sunt diuersæ et uariæ. Cùm igitur mixtio sit corporum simpliciũ specie differentiũ, necesse est ut in corpore etiam mixto huius mixtionis signa remaneãt, tũ quatenus partes, ex q̃bus humanũ corpus constat,*
    - **Componuntur**, *organicæ uidelicet. Sic Compositio prouenit, unde corpus* σύμμετρον *dicitur, quæ cõsistit in dißimilarium partiũ quæ componuntur*
      - **Magnitudine.**
      - **Numero.**
      - **Situ.**
      - **Conformatione**, *quæ posita est in*
        - **Figura.**
        - **Superficie.**
        - **Meatu.**
        - **Cauitate.**
    - **Vniuntur**, *sic unio prouenit, à qua corpus unum. At rursus unione uel*
      - **Prima**, *quæ uera est unitas, id est continuitas, in partibus similaribus, quia extrema sunt unum.*
      - **Secunda**, *quæ contiguitas est in partib. dißimilaribus: quia extrema non sunt unũ, sed contigua tantùm.*
- **Posteriori**, *nempe ab ijs quæ essentiam comitãtur necessariò. Porrò quia essentia continet materiã & formam, ideo etiam consequentiũ alia magis referũtur ad*
  - **Formam**, *à qua profluunt, ipsæ uidelicet actiones seu operationes. Quarum perfectio à Gal. Virtus appellatur. Itaq; in corpore optimè constituto perfectißimæ sunt actiones, quia perfectißima quoq; est forma tum mixti (temperatura scilicet) tum animati corporis (anima uidelicet, cuius mores corporeum sequũtur temperamentũ.) Sub actionibus autem comprehendimus non tantùm potentiam agendi, sed etiam resistẽdi causis morbificis extrinsecus occurrentibus. Actionum porrò aliæ immediatè sub sensum cadunt, ut animales: aliæ mediatè tantùm, ut naturales, per sua excrementa. Quæ autẽ cuiusq; partis actiones sint propriæ, partim ex anatome, partim ex seq. discemus. Vide Tabulas nostras in 3. cap. de constit. artis med. Ad formam igitur referuntur Actiones bonæ, ex quibus ueluti ex secundo bono corporis, eoq; sensibili, signa sanitatis interiùs latentis desumuntur.*
  - **Materiam**, *in qua conspiciuntur: quãuis enim à forma dependent, tamẽ materiales qualitates iudicãtur. Proinde ut materia est principiũ paßiuũ, ita signa optimæ cõstitutionis materialia sumũtur à paßionibus, id est, à qualitatib. quas recipit materia, ex q̃bus tertiũ corporis bonũ, Pulchritudo scilicet, ortũ habet, qualis in Achille & Hectore fuit, non qualis in Nireo & Paride. Qualitas est externa, impressa partib. corporis tum simil. tum dißim. à qualitate interna, hoc est ab ipsius optimæ cõstitutionis essentia & causis iam ante declaratis. Pulchritudo ergo ueluti signũ externũ continet in se qualitates externas, quæ consequuntur qualitates internas, easq; uel*
    - **Formales**, εὐχροίαν *uidelicet, quæ à temperatura prouenit. Merito ergo huius pulchritudo qualitates habet tum*
      - **Visiles**, *Colorem optimũ, roseum scilicet, ex albo membrorũ & rubro humorum cõmixtum.*
      - **Tactiles**, *Mediocritatem in mollitie & duritie.*
    - **Materiales.** *namq;*
      - **Cõpositionem** *seu* συμμετρίαν *sequitur cõmẽsuratio, & proportio omniũ mẽbrorum adinuicẽ, & singulorum magnitudo conueniens, conformatio debita, &c.*
      - **Vnitatem** *sequitur* ἁρμονίαν *& conuenientia recta.*

CAPVT V. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS CORPORIS MEDII, QVOD triplicem habet latitudinem, tamen solam insalubritatem persequitur Gal. Primùm autem generali theoria signorum subiecta siue materiam in qua declarat.

Corporis *optimè constituti tum simpliciter, tũ ut nũc signa diagnostica generaliter explicauit. Nũc ordo requirit, ut medij corporis signa proferat, quod triplicem habebat latitudinem, salubritatis uidelicet, insalubritatis & neutralitatis. Verùm quia fontes signorum ijdem sunt, ideo non cuiusuis latitudinis, sed insalubritatis tantùm signa se in seq. traditurum asserit: nec cuiuslibet, sed tantùm insalubritatis simpliciter, quæ scilicet ab ortu naturæ talis est. Cuius quidem ratio ea est, quoniam medicus magis circa corpora insalubria quàm salubria uel neutra occupatur: & insalubritate cognita, artificiosa cõiectura & salubritatem ueluti contrariũ, & neutralitatem ueluti medium deprendere poterit. Quòd si tamen in seq. aliquando uidetur salubritatis quoq; indicia afferre, id non facit ex professo, sed tantùm ut eo clarius insalubritas cognoscatur. Deniq; cùm naturalis insalubritas magis quàm aduenticia & periculosa sit, & euidẽtius sensibus subijciatur, neq; insalubris ut nunc perfectè aut cognosci aut curari queat absq; cognitione naturalis temperiei, ideo corpus insalubre simpliciter prosequi se uelle ait, & signa illud indicantia tradere. Postea cap. 23. insalubris ut nunc signa subnectet, quod nos, ut iam ægrũ, pro altero extremo superius constituimus. Vt ergo ordinatè doceat signa insalubris corporis, diuidit illa non ratione formæ, sed subiecti corporis. Nam signa sunt accidentia corporis. Corpus autem diuiditur in Truncum triplici uentre distinctũ, & Artus ipsos. Trunci (qui ad uitam maximè necessarius est) uariæ partes sunt, uarius usus & temperatura earundem. quæ quidem cognoscẽda sunt ex Anatome. Hìc tantùm breuiter, ad signorum cuiusq; particulæ insalubrium inuestigationem, cum Gal. partes corporis diuidimus ex usu ipso, quòd uidelicet aliæ sint*

- Principes: *quoniam facultatem aliquam triplicis animæ continent, & uim suam in uniuersum corpus singulásque eius particulas transmittunt: itaq; mutatis illis, totius quoq; constitutio immutatur. Anima quidem in toto est, & in qualibet illius parte, tamen in aliquibus particulis euidentior est illius actio. Sic primi motoris sedes in Oriente esse dicitur, quoniam uis illius ea in parte maior apparet. Anima ueluti forma est corporis. dat ergo illi & esse & nomen. Esse porrò, non tantùm ut nunc sit, uerumetiam ut reliquo tempore conseruetur, si non in indiuiduo, saltem in specie. Quare facultatum animæ principum, iuxta quas partes quoq; principes dicuntur, aliæ conferunt ad conseruationem*
  - Indiuidui, *hominis uidelicet, qui ut homo est uiuens, ita in se continet &*
    - Intelligentiam, *cuius officina est* CEREBRVM, *quod habet principium intelligendi, sentiendi, & uolũtariè mouendi. Quæ actiones cùm sint omnium præstantissimæ, etiam cerebrum pars præcipua totius corporis existimari debet.*
    - Vitam, *quæ consistit tum in*
      - Calore, *ueluti principio formali. Cuius officina est* COR, *habẽs principium uiuendi et motus naturalis, qui deinde per uniuersum corpus distribuitur.*
      - Humido, *ueluti materiali principio. Cuius officina est* HEPAR, *quod uim nutriendi insitam habet per sanguinem, atque eandem reliquis partibus impertitur.*
  - Speciei *humanæ. Sic* TESTES *à medicis pro parte principe constituuntur, quoniam uim generandi tribuunt omnibus membris, à quibus excrementum utile ad testes protruditur: ubi in semen conuersum, apta fit generationi & procreationi materia.*
- Nõ principes: *neq; enim facultatem aliquã ex tribus perfectã habent, nec mutatis illis etiã totum mutatur: tamen à principibus uel*
  - Non *oriuntur, quãuis ijsdem cõnexæ sint, propter aliquem usum, qui quidẽ uel ad indiuidui cõseruationem*
    - Necessarius *est, ita ut hoc sublato animal superuiuere nequeat, uel certe male uiuat. Sic ergo inseruit*
      - *Pulmo cordi.*
      - *Intestina uentriculo.*
      - *Ventriculus hepati: Item cystis, & lien, & uesica.*
      - *Cerebro omnia organa sensuum.*
    - Non *necessarius est, ut eo sublato animal etiamnum superuiuat. Distinguuntur rursus partes istæ ex facultate, quæ calore utitur tanquã efficiente, per spiritum ueluti instrumentũ: non secus ac sol per radios lumẽ et calorẽ suũ imprimit. Facultas porrò influit triplex, à triplici principio, fouens & cõseruãs eã quæ singulis mẽbris innata est. Et hac quidẽ ratione rursus inter partes corporis (ut uocabulo hoc generaliter utamur) quædam facultatem*
      - Non *habent, nec insitam nec influentem: Pili & Vngues. Proinde partes dici nequeũt, nisi æquiuocè. Etsi enim hærent toto, & usum toto præstãt, tamen non fruũtur uita cõmuni cum toto. Quæ tamen tres conditiones ad partis naturam constituendam concurrunt.*
      - Habent. *& rursus uel*
        - Insitam *tantùm, seipsas gubernãdi, nec gubernare alias, nec ab alijs gubernari. nec neruos, nec uenas, nec arterias habent: ut Cartilago, Ossa, Ligamentum, Membrana simplex, Adeps, Adenes, Caro simplex.*
        - Insitam *(quia uiuunt & nutriuntur) & influentem (quia uenas. & art. & neruos suscipiunt) ut Caro non simplex, & Musculus.*
  - Oriuntur, *ut illis usum aliquẽ, atq; etiam toto præstent. Sic ergo à*
    - Cerebro *nerui transuehunt facultatem animalem sentiendi & mouendi absq; spiritu.*
    - Corde *arteriæ calorem innatum cum sanguine spirituoso & facultate uitali transmittunt.*
    - Hepate *uenæ sanguinem cum facultate naturali.*
    - Testibus *uasa seminaria semen in uterum exportant.*

CAPVT VI. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS INSALVBRIBVS, indicantibus constitutionem insalubrem Cerebri secundùm temperiem.

Hactenus *Gal. uniuersalem tractationem de subiectis signorum executus est, eaq́; ratione materiæ diuisit, quòd alia totius essent, alia partium: & partium quidem uel principalium, uel non principalium. Nunc uerò particulariter illa declarare incipit: atq; ut partes corporis sunt uariæ, ita quoq; constitutionis insalubris simpliciter uniuscuiusq; signa in seq. tradit, eo quidem ordine, quē nos hîc breuiter & analyticè ante oculos ponemus. Hoc supposito, quòd sanitas consistit potißimùm in bona temperie similarium, & bona compositione organicarum. Simili ergo ratione insalubritas ex alterutrius uitio necessariò dependebit. Cùm igitur Gal. hîc insalubria signa corporis tradere uellet, opus fuit ut insalubritatem istam ostenderet tum ratione*

- **Temperiei**, *quatenus partes similares sunt, ex quibus deinde per compositionem dißimilares et organicæ partes constituuntur. Nos igitur artificiosè diuisionem partium in præcedenti cap. propositam sequemur, ut quamuis non eodem ordine Gal. illas explicet, de omnibus tamen illū egisse cōstet. Causam uerò immutati ordinis suo semper loco afferemus. Ostendit ergo Gal. per signa sua insalubritatem tum*
  - **Partium**, *earumq́; uel*
    - **Principum**: *nimirum*
      - **Cerebri**. *Cuius signa tum generaliter tum particulariter tractat cap.* VI. *usque ad* IX.
      - **Cordis**. *Cap.* X. *&* XI.
      - **Hepatis**. *Capite* XII. *&* XIII.
      - **Testium**. *Cap.* XIIII. *&* XV.
    - **Non** *principum. Quæ cùm in duplici sint differentia, illas quæ à principibus oriuntur omittit, quòd naturæ principiorum attestentur, atque ex illorum natura dependeant. Quæ uerò principibus inseruiunt, & principibus sunt connexæ, quãuis non ab illis oriãtur, præterea usum præstant necessarium ad conseruationem indiuidui (nam quæ non necessarium, breuitatis causa omittuntur) illæ per sua signa explicantur. Vsum ergo præstant*
      - **Cerebro** *quinque sensuum organa, maximè uerò Oculi. Quorum temperaturam cap.* IX. *exequitur, statim post cerebri signa. Cuius rationem illic uide.*
      - **Cordi** *Pulmones. Quorum temperiem cap.* XXI. *inuestigat.*
      - **Hepati** *Ventriculus. Cuius quidem temperaturam cap.* XIX. *&* XX. *tradit.*
  - **Totius** *corporis. Quæ cùm ferè sequatur cōstitutionem partium principum, ideo Gal. signa Totius subnectit signis partium principum, cap.* XVI, XVII, *&* XVIII.
- **Compositionis**, *quatenus sunt partes organicæ, id est, ex similaribus pluribus compositæ, pro usu diuerso ipsius animalis. Nam ut innata temperatura ueluti formale principium in agendo plurimum potest, ita etiam compositio decens ueluti materialis dispositio non parum adiuuat: ut capite quarto de Constitutione artis, docet. Proinde cùm bona actio ex bona temperie & compositione pendeat, actio pariter læsa uel ex mala temperie uel praua compositione proueniet. Quare Medicus non tantùm temperaturæ signa perpendere debet, sed etiam compositionis curam habere. Quod quidem Galenus cap.* XXII. *exequitur.*

Generalis ergo dispositio tractationis signorum à Gal. institutæ hæc est. Nunc ad Galenũ ueniamus, q in hoc cap. CEREBRI INSALVBRIS simpliciter, hoc est, intemperati, signa tradere uult. Not. igitur in primis est, quòd bona cerebri temperatura per se est temperata, quia actiones suas ritè obit: at respectu aliorũ membrorum in aliqua qualitate uel excedit uel deficit. Mala uerò & insalubris dicitur, quoniam si cum bona conferatur, excessus in aliqua qualitate maior reperitur, quàm naturalis temperies cerebri benè constituti requirat. Qualitatum istarũ excessum uel defectum Gal. per sua signa colligere docet tum

- Generaliter, in hoc cap. VI. Proponit enim fontes signorum non tantùm insalubriũ, ut pollicitus fuerat, sed etiam salubrium, atque adeò bonæ quoque constitutionis signa tradit, non ex professo, sed ut signa insalubria ex suo cõtrario melius intelligantur. Fontes proponit sex, quos alij ad tres reuocãt, nimirũ ad Dispositionem capitis, ad Actiones, & ad Passiones: alij ad duos, ad Actiones scilicet siue potentiã agendi, & ad Passiones, siue potentiã patiẽdi resistẽdi'ue causis externis. Quod Gal. quoq; tacitè insinuare uoluisse uidetur, quãdo sextũ fontem, q sumitur ab extrinsecus incidẽtibus à quibus cerebrum patitur, ueluti separatũ opponit reliquis quinque. Nos uerò rei naturam secuti, cùm signa sint accidentia quæ sequuntur essentiã, externa, & sensib. cõspicua, dicimus illa sumi uel à
  - Capite, quod ueluti uas est cerebri. Sumũtur uel ab aliquo
    - Interno, quod immediatè ab illius essentia, siue à causis constituẽtibus profluit: siue sit
      - Actio: uel ut est pars
        - Organica. Vide in seq. A.
        - Similaris. Vide in seq. B.
      - Passio, eaq; rursus uel
        - Interna, quia est sensuum omniũ, siue primi sensorij, nempe cerebri: Somnus & uigilia. Ex quibus quo'nam pacto signa temperaturæ cerebri sumantur, in particularibus declarabit.
        - Externa. Potentia siue aptitudo patiendi à rebus non naturalibus facilis uel difficilis: & uicißim, quia contrariorum eadem est ratio, potentia seu uirtus illis resistendi. Vide in seq. C.
    - Externo, quod sensibus pateat, nimirum ab ipsa conformatione seu compositione capitis, quæ temperaturam cerebri arguit bonam uel malam, quia indicat proportionem efficientis & materiæ inter se mutuo. Sumuntur ergo tum à capitis ipsius
      - Magnitudine, quæ materiale accidens esse uidetur. De qua uide in seq. D.
      - Figura, quæ formam propius cõsequitur. Vide in seq. E.
  - Capiti adnatis. ijsq; rursus uel
    - Exterius, à Capillis. De quibus uide signum F. Huc etiam referri debet Cutis qualitas (quia exteriùs capiti adnascitur) cuius hoc in loco non meminit, sed in particularibus signorum ab ea desumptorũ frequenter meminit.
    - Interius, quæ proportione respõdẽt principijs unde enascũtur. Nam hîc Gal. regulam generalẽ ponit: QVAE à principijs oriuntur, attestãtur uirtutem & uitium principiorum: & uicißim principium ea, quæ ab ipso nascuntur. Sumuntur ergo indicia temperaturæ cerebri ab adnatis tum
      - Propriè, nimirum à
        - Ceruice & tota spina, quæ à cranio ueluti basi oritur.
        - Medulla spinæ, quæ uel à cerebello ortum ducit, uel certè ei connectitur.
        - Neruis, ueluti organis, per quæ facultas à cerebro transmittitur: siue inseruiant Motui, quorum paßim meminit: siue inseruiant Sensui. Huc quorumuis sensoriorũ signa possunt referri. Gal. satis est, ut in Oculorum signis nos exerceat.
      - Impropriè. nempe ab
        - Arterijs, quæ ut à corde oriuntur, ita ad cerebri temperiem, per quod transeunt, dijudicandam parum conferunt. Quare à Gal. omittuntur.
        - Venis, quæ licet ab hepate oriantur, tamen possunt à temperie cerebri, per quod transeunt, immutari. Indicant ergo, sed cum hac exceptione, nisi cordis aut hepatis uirtus obstet.
- Particulariter. Cap. VII, & VIII, ut in seq. patebit.

A. Actio cerebro conueniens ut pars est organica, ita propria illi est, ut nulli alteri parti per se, sed beneficio tantùm cerebri conuenire poßit. Proinde signa quæ hinc sumuntur, certiora sunt quàm quæ ex alijs fontibus ortū habent. Dicuntur autem Actiones istæ ANIMALES, quoniam per istas differt animal à plantis, quinimo etiam animalia inter se differunt, homo scilicet à brutis. Sunt enim in duplici differentia actiones istæ. Aliæ quidem

- In cerebro & propter cerebrum, ἡγεμονικαὶ, id est, principes à Gal. uocantur: aliàs Internæ, quia sensibus non patēt, ut motiuæ & sensitiuæ: conferūt ad indiuidui perfectionem, quia homo intelligēdo perficitur. Tres numero cum Gal. ponimus (quamuis alij plures.) Nam nihil est in intellectu, quòd non prius fuerit in sensu. Itaq; sensus primùm recipit, recepta iudicium examinat, examinata reponit & conseruat memoria. Hinc tres facultates internas siue principes Medici colligunt: uidelicet
  - Phantasiam, quæ recipit & quodammodo patitur à speciebus externis. Proinde quodā in loco νοῦς παθητικὸς ab Aristotele dicitur. Itaque si cerebri substantia fuerit
    - Humida, quia humiditatis est facile recipere, pariet εὐμάθειαν. Et uicißim ex discendi facilitate cerebri temperiem humidam inferemus.
    - Sicca, quia siccitas aut nullo modo recipit, aut certè difficulter tantùm, pariet δυσμάθειαν, id est discendi difficultatem.
  - Rationem, Discursum, Iudicium, Cogitationē, διάνοιαν, quæ examinat singula. Cuius causa est ipsa temperatura, quam per hæc signa inuestigare uolumus. Verùm quia subobscurior est hæc tractatio, clarioris intelligentiæ gratia examinemus tum
    - Causas huius facultatis, ipsam scilicet temperiē, quæ consistit in qualitate tum
      - Prima, eaq; actiua. Si ergo cerebrum sit
        - Calidum, quia caloris est agitare, generat προπέτειαν, id est, promptitudinē, & εὐμεταβολίαν.
        - Frigidum, parit tarditatem discursus & pertinaciam.
      - Secunda, quæ planè est materialis. Nam cerebri substantia uel est
        - Tenuis, & spiritibus trāsitum præbet celerem. Facit ingenij acumen & subtilitatem.
        - Crassa, parit stupiditatē & hebetudinem.
      - Vide in seq. signū †
    - Effectus. Vide in seq. signum ⊞
  - Memoriam, quæ iudicata reponit & retinet. Si ergo cerebri substantia fuerit
    - Mollis, facile recipit: si iungatur humiditas, facile etiam amittit & obliuiscatur. Oritur autem mollities ex optima mixtione humidi aquei cum sicco terreno. Cui deinde exterius uel siccitas uel humiditas superuenire potest, quæ uim memorandi uel promoueat uel obscuret.
    - Dura, difficulter recipit, pertinaciter tamen retinet, maximè si iungatur siccitas.
- À cerebro proficiscuntur, sed extra cerebrum in membris per neruos transmissæ conspiciuntur. Facultas mouendi & sentiendi. Externæ dicuntur actiones, quia sensibus subijciuntur: non tamen principes, quia non conferunt ad bene esse, ut priores, sed seruientes tantùm principibus magna ex parte. Signa ex his fontibus sumpta Gal. hîc in uniuersali theoria nulla habet, sed tantùm in particularibus. Quapropter inferius statim de oculis agit, ut ex quorum integritate uel uitio etiam cerebri affectio poßit innotescere. Neq; enim generalis aliqua ratio motus aut sensus afferri potest, cùm diuersi sint sensus, proprij cuiusq; particulæ motus. Nisi quis dicat, Gal. motum & sensum in Magnitudine & Figura capitis comprehendisse: quoniam figuræ & magnitudinis uitium ex adnatis neruis dijudicare docuit, qui quidem nerui organa sunt, per quæ sensus & motus ad membra transmittitur.

† Iam uerò si coniungamus has qualitates, ut actu coniunctæ reperiuntur, uariæ ingeniorum species prodibunt. Nam

- Tenuitas substantiæ cerebri iuncta cum
  - Caliditate
  - Frigiditate
  - facit ingenia laudata
    - Εὐφυῆ, Acuta, quæ ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ τὸ μέσον inuenire possunt. Quale fuit Alcibiadis, & Dionysij prioris.
    - Στάσιμα, quæ non αὐτοσχεδιάζειν, sed πολυχρονίζειν solent, multa cogitatione & pertinaci discursu opus habent. Tale fuit Socratis & Cimonis.
- Crassities substantiæ cerebri iuncta cum
  - Caliditate
  - Frigiditate
  - facit ingenia praua & ignaua
    - Μανικὰ. Hoc est quod Aristoteles in Rhet. inquit, τὰ εὐφυῆ degenerare in μανικὰ, quoniam calore aucto siccitas quoq; increscit, quæ tenuem substantiã crassefacit. οἷον οἱ ἀπὸ Ἀλκιβιάδου, καὶ οἱ ἀπὸ Διονυσίου τοῦ προτέρου.
    - Μελαγχολικὰ καὶ νωθρὰ, stupida & barda. Si στάσιμα degenerent, talia euadunt, quoniam frigiditas uehemens incrassat tenuem cerebri substantiam. οἷον οἱ ἀπὸ Σωκράτους, καὶ Κίμωνος, καὶ Περικλέους.

⊞ Effectus, siue τὰς ἀρετὰς huius facultatis: quas Aristoteles 6. Ethic proponit. Διάνοια uersatur uel ἐν τοῖς

- Θεωρητικοῖς. Quarũ finis est ueritas. Sic ergo discurrendo uel
  - Inuenit. Εὕρεσις ἢ ἀγχίνοια, & uel
    - Ἄνευ λόγου. Nomine caret.
    - Μετὰ λόγου. Dicitur Ἀγχίνοια.
  - Inuenta iudicat, & uel
    - Non omnino assentitur. Δόξα. Mutatio opinionum prompta uel difficilis ad caliditatem & frigiditatem cerebri refertur.
    - Assentitur, siue sint
      - Contingentia. ἐν τῷ ποιεῖν dicitur Τέχνη.
      - Necessaria. τῷ θεωρεῖν
        - Principia, dicitur Νοῦς.
        - Cõclusiones, dicitur Ἐπιστήμη.
        - Vtrunque simul, dicitur Σοφία.
- Πρακτικοῖς. Quorum finis est τὸ ἀγαθόν. Sic ergo rursus uel
  - Inuenit. Βούλευσις, καὶ Εὐβουλία est ὀρθότης τῆς βουλῆς.
  - Iudicat. Iudicium uel est
    - Ἀκριβὲς, secundùm leges & statuta. Σύνεσις dicitur, Sagacitas.
    - Ἐπιεικὲς. Γνώμη, ἔστι τοῦ ἐπιεικοῦς κρίσις ὀρθή.

B. Actio cerebro conueniens, ut pars est similaris, communis illi est cum reliquis partibus, nempe tum uitalis per arterias, tum naturalis per uenas. Viuit enim & alitur. De uitali nihil in præsentia Gal. quia cordis potius quàm cerebri affectionem pulsus indicare potest: sed de naturali tantùm. Nam insita est facultas cerebro naturalis, alimentum quod per uenas affluit concoquendi: cui deinde facultati uelut principi inseruiunt reliquæ tres, naturales itidem, Expultrix, Retentrix, Attractrix. Concoctrix porrò non per se & immediatè, sed tantùm per excrementa sua potest cognosci. Quamuis enim ex cutis quoq; florida qualitate uel exangui, aut ex caliditate & frigiditate ad tactum, item ex adnatis capiti uenis amplis uel angustis poßit concoctricis uirtus colligi, sunt tamen signa ista incerta, ut econtra quæ ab excrementis sumuntur certißima sunt. Excrementa ergo si naturaliter se non habeãt, cerebri insalubritatem denotant, & facultatis cõcoctricis, quæ calore utitur ueluti instrumẽto, debilitatẽ. Excessus porrò et defectus uarius esse potest, qui quidem generaliter cognoscetur, si naturales conditiones excrementorum cerebri proposuerimus. Itaq; excrementa naturalia sex cõditiones requirunt (cum hoc tamen appendice, si recta uictus ratio accedat) nempe debitam

- **Substantiam**, non inæqualem aut uariam, non fluidam aut nimis compactam, sed mediocris consistentiæ.
- **Quantitatem**. Nec nulla omnino, propter siccitatem: nec nimia, propter humiditatem.
- **Qualitatem**. Non dura, non fluida, non cruda, sed à temperato calore concocta.
- **Tempus**, quo excernantur: peracta concoctione tum prima uentriculi, summo mane, post somnum, tum tertia ipsius cerebri. Quamuis si bene sit temperatum cerebrum, per insensibilem diuaporationem, per capillos, per sordes & sudores excernãtur fuligines: eius enim officij gratiã tot suturis cranium natura distinxit.
- **Locum**, seu uiã per quam excernuntur. Viarũ aliæ sunt
  - **Impropriæ**, quia sensibus sunt destinata ea organa, non excrementis. Natura tamen illis abutitur, quando intemperatum cerebrum nequit alimentum probè cõcoquere. Abutitur ergo tum
    - Oculis.
    - Auribus.
    - Naribus.
  - **Propriæ**: duplices, ut etiam excrementum, quod necessariò à cerebro quamuis sano gignitur, duplex est. Aliud enim est
    - **Tenue**, & fuliginosum. Per suturas cranij dispergitur & exhalat, uel certè in sordes abit.
    - **Crassius** & corpulentum, quod per Palatum expurgatur, cui infundibulum superimminet, ex omnibus cerebri uentriculis meatus excipiens, per quos excrementa uelut in cloacam deferantur. Quòd si multitudinem tantam peluis continere nequeat, nec per os celeriter expurgentur, delabuntur excrementa ad trachæã, œsophagum, spinam, neruos, uenas & arterias. Quæ tamen partes idcirco uiæ excrementorum nec propriæ nec impropriæ dici debent: quemadmodum nemo quoque est, qui intestina pro cerebri excrementis expurgandis facta esse dicat, quamuis sæpius per illa expurgentur. Aliud enim est partem parti inseruire, aliud partem à natura uel primò uel secundariò alicui usui esse destinatam.
- **Modum**: absque ulla contentione uehementi, per simplicem screationem expuuntur. Si tenacia sint, rascationem, ut uocant, requirunt: si acria & mordacia, sternutationem. Denique Modus excretionis expultricis facultatis proprius est, quatenus concoctrici excrementorum inseruit.

C. Potentia patiendi seu resistendi *causis externis alterantibus, à temperatura cerebri prouenit. Cuius Gal. in particularibus signis frequenter meminit. Quæ quidem multas & difficiles quæstiones paßim exagitatas continet. Vt igitur occasio omnibus sophismatibus præcidatur, dicimus corpora*

- Salubria *siue temperata esse, in quibus fontes uitæ, calor & humiditas, eam habent proportionem, ut nec calor humidum superet, nisi quantum efficientis natura exigit, nec humiditas calorem, nisi quantum satis est pro reactione materiæ. Talia ergo corpora*
  - Conseruantur *non à contraria aliqua qualitate uel simplici uel coniugata, sed à similibus temperatis. Similia intemperata nulla reperiuntur, à quibus conseruari poßint: quandoquidem id quod temperatum est, in medio exquisitè ueluti centrum consistit, neque diuisionem ullam admittit.*
  - Corrumpuntur *& læduntur non à similibus, sed à cõtrarijs qualitatibus tum primis tum secundis, si modũ excedant, & ui sua actiua potẽtiam paßiuam temperati corporis superent. Porrò cùm temperatum hoc corpus in medio sit, & reliqua intemperata uel excessu uel defectu qualitatum peccent, necessarium est ut collectiuè causis externis omnibus simul magis resistat, quàm corpora intemperata: distributiuè uerò, ut aliquibus causis externis minus resistat, quàm aliqua corpora intemperata. Sic corpus calidum magis resistit frigidis contrarijs, quàm temperatum. Pari ratione homo dicitur perfectione sensuum omnium simul omnia uincere animalia: quamuis ab aliquibus uincatur in quibusdam.*
- Insalubria *uel intemperata esse, in quibus aut uterq; aut alteruter tantùm uitæ fons uel intensione uel remißione qualitatis à temperato recedit. Hæc igitur corpora*
  - Conseruantur *tum à*
    - Similibus *temperatis in gradu.*
    - Dissimilibus *temperatis in gradu, habita ratione efficaciæ qualitatum. Sic caliditas conseruatur seu potius corroboratur à frigiditate tanta, quam licet reagentem tandem superare queat.*
  - Corrumpuntur *& læduntur tum à*
    - Simili *immoderato, quia qualitatis excessus uel defectus intenditur.*
    - Dissimili *contrario & immoderato.*

D. Magnitudo capitis, *habet materiam & efficientem uirtutem formatricem, atque illorum inter se mutuam proportionem sequitur. Oportet autem caput reliquis membris correspondere sua quantitate, ut naturale dicatur. Si non respondeat, uel erit*

- Paruum, *quod semper malum est. Indicat enim & materiæ paucitatem, & efficientis uel ignauiam uel actionem frustratam. Paruum ergo cerebrum quoque subest, quod propterea communes actiones diminutas & culpatas habebit. Eoq; magis, si insuper figuræ inconcinnitas accedat, quia summam formatricis debilitatem denotat. Consulendæ tamen sunt quoque partes adnatæ, quomodo se habeant.*
- Magnum. *Magnitudo ista quamuis accidens sit materiale, non tamen à sola materia prouenit, sed unà etiam adiuuãte efficiente. Differentiã istam inde elicies, quòd magnitudo iungitur uel cum figura*
  - Inconcinna, *& partibus adnatis debilibus. Malum hoc est caput, quia materiæ quantitatem impuræ & contumacis significat, uirtutisq; formatricis imbecillitatem.*
  - Concinna, *& partibus adnatis robustis. Bonum est, quia materiæ quantitatem uirtus formatrix potuit edomare, & figuram debitam illi indere. Quare plurimum quoque cerebri subest, quod actiones suas integrè exequitur.*

E. Figura capitis *ad formam pertinet, ut magnitudo ad materiam. Vtrunque tamen formatricem facultatem desiderat. Atque ut forma absque materia esse nequit, ita quoque figura absque magnitudine rectè intelligi nequit. Figura igitur capitis non per se considerata, sed quatenus indicat subesse bonam uel malam temperiem cerebri, uel est*

- Salubris. *Propria capitis figura, inquit Galenus, est, ueluti si excogitares sphæram exquisitè rotundam ex cera constructam, paulatim utrinque depressam. In hac enim necesse est, ut posteriores prioresq́; partes plus gibbæ fiant quàm sphæræ conueniat: quæ uerò ad latera consistunt, magis rectæ. Caput rotundum esse oportuit, quia cerebro talis figura competebat, ut iniurijs minus oportunum esset, & uentriculos capaces atque amplos haberet, in quibus functiones animales mediante spiritu exerceret. Quale fuit caput Periclis.*
- Insalubris, *quæ deflectit à salubri, primum quidẽ ratione magnitudinis (maximè si sit diminuta) deinde uerò ratione figuræ. Nam rotundum caput esse & processus geminos habere debet. Notanda tamen sunt hîc in primis tria. Alterum, processus istos à natura quidem formari, obstetricũ tamen industriam multum quoq; in infantum capite formãdo posse. Alterum, à processibus signa certa non sumi, nisi adnatæ partes adstipulentur. Tertium, capita hîc insalubria naturalia tantùm, non etiam monstrosa tractari. Insalubre ergo erit, si careat processu uel*
  - Vtroque. *Quia indicat defectum materiæ, & formatricis debilitatem, maximè si partes adnatæ sint debiles. Arguit igitur siccitatem cerebri, spiritus conclusos & calefactos. Vnde sensus hebetes, corpus imbecillum. ὀξυκέφαλοι. Qualis fuit Thersites.*
  - Altero *tantùm: eoq́; rursus uel*
    - Anteriore, *indicat temperaturam siccam cerebri. Nam maior pars materiæ aptior fuit ad cerebrum posterius quod siccius est generandũ, quàm ad anterius, quod humidius est. Siccitas motui inepta est: sensus tamen uegeti, nisi paruitas capitis impediat, quæ spiritus concludit & exagitat. Si nerui sensitiui sint ualidi, indicat materiæ defectum tantùm, non etiam formatricis debilitatem. Sin nerui adnati sint debiles, indicat materiæ defectum simul & uirtutis debilitatem.*
    - Posteriore, *qui siccior est anteriore, indicat temperaturam minus siccam, quia maior pars materiæ aptior fuit ad anterius cerebrum humidius generandum, quàm ad posterius, quod siccius est: maximè uerò si caput magnum sit, quale fuit Æsopi. Si partes adnatæ sint ualidæ, indicat materiæ tantùm defectum, non etiam formatricis debilitatem. Vtplurimùm tamen utrumque in causa est.*

F. Capillos Gal. ad dispositionem capitis retulit: hic tamen statim excrementis naturalis facultatis subnexuit, quòd generatio illorũ ex fuliginoso excremento esset. Et sic tacitè insinuat, eosdem locos diuerso respectu ad uarios fontes posse referri. Excrementa enim corporis pili sunt, non partes, cùm adhæreant quidem corpori, & usum præstent corpori, uita tamen communi cum toto non fruantur. Theoria capillorum alterius est loci & temporis. Nos hic pro signorum intelligentia consideremus circa capillos quædam

- **Interna**, quibus natura illorum absoluitur tota, quatenus sunt excrementa corporis. Sic ergo consideremus illorum tum
  - **Essentiã**. Capilli sunt excrementa corporis. Itaque & natura illorũ & locus cuius sunt excrementa inuestigari debẽt. Est ergo
    - **Natura**. Vide in seq. signum ☩
    - **Locus**, Cutis uidelicet, quæ fuligines suscipit, easq; concoquit, ut pro pilis generandis aptæ euadant: coadiuuante etiam ambiẽtis temperie, qui uel dißipat fuligines, uel eas coërcet & incrassat. In cute ergo obseruemus tum
      - **Qualitatem**, seu temperiẽ. Nam si sit
        - **Calida**, deurit fuliginem.
        - **Frigida**, alimentum non probè concoquit.
        - **Humida** immoderatè, meatus obstruit, ut nequeant fuligines penetrare. Huc refer Mollitiem cutis.
        - **Sicca** immoderatè, & Dura, aut omnino transitum fuliginibus intercludit, quia cõtrahitur, aut certè meatus fatiscunt & aperti manent, ut omnis fuligo in halitum euaporet.
      - **Meatus**: tum ratione
        - **Quantitatis**. Sũt enim uel
          - **Ampli**. Pili generantur craßi, præsertim si materiæ substantia quoq; conueniat.
          - **Angusti**. Pili tenues.
        - **Qualitatis**, sunt uel
          - **Recti**, capillos planos producunt.
          - **Flexi**, generant capillos crispos.
  - **Accidentia**, Ortum uidelicet capillorum & casum, uel celerem uel tardum. Sub casu autem & caluitium naturale & defluuium præter naturã comprehendimus. Ad hæc igitur accidentia conferunt partim
    - **Causæ** capillorũ, uidelicet
      - **Materia** uel
        - **Deficiens**, per ætatem, ut in caluitio senum.
        - **Abundans**, uel
          - **Bona**.
          - **Vitiosa**.
      - **Efficiẽs**, tum
        - **Calor** excitãs fuligines uel ualidus uel debilis.
        - **Virtus** expultrix integra aut læsa.
    - **Locus** siue cutis, quia meatus uel nimis sunt aperti, uel nimis clausi.
- **Externa**: ut est Regio, Ætas, Tempus anni, Aëris constitutio, Ratio uictus, &c. Quorum singula magnam habent uim in capillis immutandis, quoniam uel causas ipsas, uel cutim alterant. Proinde signa quæ à capillis sumuntur non usque adeo sunt certa, partim quia eiusdem effectus diuersæ esse possunt causæ, partim quia etiam unius tantùm causæ effectum exterius incidentia possunt immutare. Cuius rei exemplum Gal. in colore capillorum cerebri benè constituti affert.

- ※ **Natura** *illorum talis est, quòd ab efficiente calore in massa sanguinis fuligo excitatur, quæ ad cutim à uirtute expultrice propulsa, ex ambiente frigido in capillos densatur, tum ornatus gratia, tum etiam defensionis, à natura instituta. Signa igitur depromimus cõstitutionis ipsius cerebri à capillorum tum*
  - **Materia,** *quæ est ἀναθυμίασις propriè dicta, siue in capite generetur, siue aliunde aut à toto aut ab aliqua parte in caput euaporet. Differt autem materia tum*
    - **Quantitate,** *quoniam uel est*
      - **Multa,** *in corpore humido & calido. Quare etiam capilli multi.*
      - **Pauca,** *quia uel calor uel humiditas deficit.*
    - **Qualitate** *seu modo substantiæ. Est enim uel*
      - **Crassa** *& impura. Subest humor multus, crassus & terrenus, cui proportione respondet calor ualidus.*
      - **Tenuis** *& pura. Puriores sunt humores, & calor mitis, qui non exurit materiam aqueam & aëream.*
  - **Forma** *non interna, sed externa. Est enim capillus corpus oblongũ, tenue, teres & rotundum, cùm imitetur conformationem foraminum per quæ transit: habet deinde in se tum*
    - **Figuram,** *quæ est uel*
      - **Plana.** *Causa esse potest uel materia lenta & sequax, propter caloris imbecillitatem, uel uirtutis expultricis strenuus & continuus motus, uel cutis pori recti & aperti.*
      - **Crispa.** *Causa est uel materia adusta, uel uirtutis debilis tremula expulsio, uel meatuum anfractus obliqui.*
    - **Colorem.** *Cuius theoria ad philosophos pertinet. Hîc satis est scire, quòd capillorum color referri debet partim in*
      - **Materiam,** *hoc est in humores, à quibus eleuatur fuligo. Materia enim ista uel est*
        - **Simplex.** *Fiunt ergo capilli à*
          - **Bile** *Flaui.*
          - **Melãcholia** *Nigri.*
          - **Pituita** *Albi.*
          - **Sanguine** *Rubri.*
        - **Composita.** *Sic infinitis modis possunt tingi capilli. Nam & humores uarij sunt, & sexcentis modis commisceri possunt.*
      - **Efficientem** *calorem, qui imprimit qualitatem suam passo. In parte ergo, in qua capilli generantur, calor uel est*
        - **Validus,** *qui fuliginem qualemcunque assat, & instar carbonum deurit. Quare Nigri generantur capilli ratione efficientis, qui ratione materiæ flaui uel subflaui esse debuissent. Quod infrà in calida cerebri temperie Galenus docet.*
        - **Debilis,** *qui materiam crudam relinquit, nec fuliginem adurit, qualiscunque ea sit. Vnde frequenter putrescit, & canos generat. Vt in frigido cerebro Gal. infrà docet.*

CAPUT VII. DE SIGNIS INSALUBRIBUS DIAGNOSTICIS Cerebri intemperierum.

In quauis CEREBRI intemperie uarij aßignari poßunt gradus, secundùm qualitatis excessum maiorem aut minorem. Nos primùm simplices intemperies cum Gal. exequamur: quas unico capite cõplectimur, quia contextus Gal. breuißimus est, & diuisionẽ per capita non magnopere desiderat. Cerebri ergo insalubris signa, quatenus à conuenienti sua temperie per CALIDITATEM recedit, ab ijsdem fontibus deducuntur, à quibus etiam generalia signa, nimirum uel à

- Capite: uel ab alto quo
  - Interno: siue sit
    - Actio: eaq; uel
      - Animalis. Quam quia in generali tractatione explicauit, hic nõ repetit. Actio porrò ista uel est
        - In cerebro, & propter cerebrum. Sic ergo
          - Phantasiæ nulla hic per se habetur ratio, quandoquidem mutatio eius sequitur paßiuas qualitates.
          - Iudicij promptitudo & sagacitas adest, maximè si tenuitas substantiæ accedat. Adest quoque mutabilitas & inconstantia opinionum.
          - Memoriæ nulla iniuria per se à calore inferri potest, sed tantùm merito secundarũ qualitatum, mollitiei scilicet & duritiei.
        - A cerebro & extra cerebrum. Sic ergo
          - Sensus omnes sunt alacres, quoniam calor excitat & corroborat spiritus.
          - Motus est promptus & expeditus, quia calor siccat humidum motui inimicum.
      - Naturalis, quæ per sua excrementa tantùm cognoscitur: hæc autem generantur à concoctrice, expelluntur ab expultrice, per quosuis meatus, maximè uerò per palatum & nares. Calidum ergo cerebrum habet excrementa
        - Pauca & concocta, hoc est, crassa, corpulenta & æqualia, ὅταν ἀμέμπτως ὑγιαίνωσιν, inquit Gal. non quòd perfectè sint sani, sed quòd temperiem hanc naturalem habeant, & proinde salubris existimetur, quæ tamen reuerà insalubris est.
        - Multa, si in uictus ratione peccet, aut uaporibus extrinsecus repleatur: sunt tamen aliqua ex parte concocta.
    - Paßio uel
      - Interna. Quoniam
        - Somnus est breuis & non profundus, quia calor siccat humidum, quod prima est causa somni naturalis, sicut secundaria causa est frigiditas. Insomnia autem uaria sunt, nam calor mouet imagines.
        - Vigilia longa est: cuius primaria causa est siccitas, secundaria ipsa caliditas.
      - Externa. Facilè repletur à calidiore aëre, cibo, potu, aromatibus, multoq; magis si unà iungatur humiditas. Habet enim meatus amplos, quibus recipit. Quapropter & frequenter sternutat, propter uapores mordicantes. Conseruatur à similibus moderatè calidis, & contrarijs moderatè frigidis. Læditur à uehementer calidis & frigidis.
  - Externo, à magnitudine & figura. A quibus tamen signa non sumũtur, quia Compositioni magis, quàm Temperaturæ attestantur. Nisi fortè quis per accidens ex bona compositione etiam temperaturam bonam colligat, quoniam temperatura prior est compositione, & proinde si uirtus formatrix in uno præualuit, etiam in altero ualidam fuisse uerisimile est. In signis generalibus horum fecit mentionem, quoniam illic generalis constitutionis indicia tractabat, quæ ex quibusuis atque omnibus fontibus deducuntur: cùm particulares constitutiones satis habeant, si saltem ex aliquibus indicentur.
- Capiti adnatis. Vide in seq. signum ♯

- # Capiti adnascuntur
  - Interius, tum
    - Venæ capitis, maximè frontis & oculorum. In calido cerebro sunt latæ & amplæ, quia calor dilatat, maximè si iuncta sit humiditas. Licet enim ab hepate oriantur, tamen à qualitate cerebri per quod transeunt alterantur, & proinde inter adnatas partes referri possunt.
    - Arteriæ, quæ in temporibus & uertice ualidiùs pulsant, id quod ex leui quauis alteratione percipies.
    - Nerui tam motiui quàm sensitiui, qui ualidiùs & promptiùs munus suum obeunt. Quorum tamen hic non meminit.
  - Exterius, tum
    - Cutis ipsa. Duplex illius est qualitas in cerebro calido, nempe
      - Prima. Ad tactum calida est.
      - Orta à primis. Facies rubet.
    - Capilli. Oriuntur citò propter copiosam fuliginem à ualido calore excitatam: citò etiam cadunt, quia absumitur materia à calore. Figura sunt crispi, tum quia fuligo ualde sicca & exusta expultrici uirtuti non obedit, tum quia cutis meatus propter siccitatem contrahuntur & tortuosi fiunt. Substantia sunt crassi & robusti, absumpto humido. Color in pueris subflauus, propter pituitæ mixtionem cum bile: aucta deinde bile, sensim nigricant. Quòd si uehementiùs calor intendatur, etiam in primo ortu habent nigros capillos.

FRIGIDI cerebri signa ex iisdem desumũtur fontibus. Galenus tamẽ tum breuitatis causa, tum quòd nõ ex omnibus cõmodè deduci possint, tum quòd in generali tractatione iam exposuerit, quosdam omittit. Depromũtur ergo partim à

- Capite, ab aliquo
  - Interno, siue sit
    - Actio, uel
      - Animalis. Cuius non meminit, contentus suprà docuisse. Est uel
        - In cerebro & propter cerebrum. Sic Iudicium est hebes & tardum. Obstinatio quoque & constantia in opinionibus.
        - A cerebro & extra cerebrum. Sensitiua & motiua uis torpet, quia calore excitante & quodammodo uiuificante destituitur.
      - Naturalis per excrementa cognoscitur. Itaque in proprijs meatibus cerebri multa sunt excrementa, quia frigiditas non potuit concoquere alimentum perfectè, ideo per accidens multitudo adest excrementorum, propter humiditatem nimiam: per se uerò sunt cruda, ex caloris defectu. Cruda autem esse cognoscuntur, quia liquida, inæqualia, fluida.
    - Passio, uel
      - Interna. Somnolentiores sunt quodammodo, non absolutè: quia prima causa somni eaq; naturalissima est humiditas, secundaria uerò frigiditas. Et nisi humiditas accesserit, somnia sunt quieta, minimè turbulenta. Calor enim excitat imagines, humidum turbat, frigus abolet.
      - Externa. Facile à causis frigidis læduntur, & in catarrhos, branchos, coryzas incidunt. A calidis econtrà moderatis iuuantur.
  - Externo. Cur à Magnitudine & Figura non sumat signa temperaturæ, suprà indicauimus.
- Capiti adnatis tum
  - Interius: nempe à
    - Venis, maximè oculorum, minimis, ita ut uisum effugiant.
    - Arterijs quietis nec uehementer pulsantibus.
    - Neruis, tum mollibus tum duris, torpidis & inertibus.
  - Exterius, tum à
    - Cutis qualitate
      - Prima, quæ ad tactum frigida aut certè non ualde calida persentitur.
      - Orta à primis. Facies & totum caput decolor, exangue, luridum.
    - Capillis. Tardè oriuntur: orti tamen permanent diutius. Figura plana est & recta. Substantia stabiles, uerùm tenues, quia male nutriuntur. Colore ruffo, propter materiæ frigiditatem, & caloris debilitatem. Oritur enim color ruffus ex miscella pituitæ copiosioris cum mediocri bile.

SICCI cerebri indicia sumuntur tum à

- Capite. Ab internis tantùm tum
  - Actionibus, uel
    - Animalibus, tum
      - Internis. Sic in phantasia adest difficultas recipiendi, δυσμάθεια. In memoria quoque non per se, sed ratione duritiei, difficilis erit receptio, uerùm pertinax conseruatio. Durities enim propria ferè est paßio sicci, nisi quid externum prohibeat. Facilis uerò receptio, si mollities adsit cum siccitate.
      - Externis. Sensuum perspicacitas, quibus humiditas ualde officit. Motus quoque promptus, non tamen durabilis, quia exiccat.
    - Naturalibus. Excrementa aut nulla, aut certè paucißima.
  - Paßionibus
    - Internis. Somnus parcior, uigiliæ frequentiores quàm in calido cerebro.
    - Externis. À simili temperato conseruantur: ab intemperato & contrario læduntur.
- Capiti adnatis non interius (quia hæc primis qualitatibus ferè accepta referuntur) sed exterius, uel à
  - Cutis qualitate, non prima, quia hæc actiuas qualitates sequitur, sed orta à primis, quia & uisu & tactu facies apparet aridior & macilentior.
  - Capillis, quorum substantia est robusta & dura, non flexilis, quia fuligo caret humido. Figura subcrispa, propter materiæ contumaciã. Ortus celerior quàm in frigidis, quia ad fuliginem generandam qualitas commoda est siccitas: citò tamen caluescunt, propter materiæ defectum. Color ab actiuis pendet.

HVMIDI cerebri signa sumuntur tum à

- Capite. Ab internis tãtùm, non ab externis, tum
  - Actionibus, uel
    - Animalibus, iisq; tum
      - Internis. Sic phantasia facilè recipit species, & εὐμάθειαν, id est docilitatem parit. In memoria quoque si humiditas iungatur duritiei, efficit bonam & firmam: sin mollitiei, efficit obtusam (quia nequeunt rectè imprimi imagines) & labilem. Iudicio nil confert.
      - Externis. Sensus turbulenti, & Motus tardus quidem, tamen durabilis, præsertim si caliditas accesserit.
    - Naturalibus. Excrementa multa sunt, & catarrhi frequentes.
  - Paßionibus,
    - Internis. Somni multi atque profundi. Somnia turbulenta.
    - Externis. Facilè replentur capita tum ab humidis uaporibus, tum à calidis, quia calor in humidum agens resoluit in uapores.
- Capiti adnatis non interius, sed exterius: tum à
  - Cutis qualitate, non prima, sed quòd ad tactum succulentior apparet.
  - Capillis, quoniam pauciores sunt quàm in sicca temperie. Figura plani, & flexiles sua substantia. Color à qualitatibus primis pendet. Ortus tardior, nisi calor simul sit iunctus: caluitium nullum, nunquam enim materia deficit.

CAPVT VIII. DE COMPOSITIS CEREBRI INSALVBRIS INTEMperiebus, per sua signa dignoscendis.

COMPOSITA intemperies cerebri cognitu facilis est, si simpliciũ signa inuicem copules. Ita ut quo euidentiora fuerint alterius qualitatis signa, eo maiorem illius uim esse colligamus: sin æqualia, æquales quoq; exuperantias. Proinde cùm magnopere referat scire utra qualitas uincat, ideo nos Gal. in compositis quoque temperaturis exercere uoluit, & primùm signa cerebri CALIDI & SICCI affert. Quæ sumuntur tum à

- **Capite.** *Ab internis tantùm tum*
  - **Actionibus,** *uel*
    - **Animalibus,** *uel*
      - **Internis.** *Sic ergo in*
        - **Phantasia** *merito siccitatis erit δυσμάθεια.*
        - **Iudicio** *merito caliditatis erit Sagacitas, præsertim si tenuitas substãtiæ iungatur, ut suprà in generalibus signis notauimus.*
        - **Memoria,** *si adsit mollities, optima erit constitutio: sin durities, difficilis quidem receptio, sed pertinax conseruatio.*
      - **Externis.** *Sic ergo sensibus uigent, & in motu agiles sunt ualde, quamuis diu ferre nequeant.*
    - **Naturalibus.** *Excrementa nulla sunt penitus, partim quòd materia deficiat, partim quia calor, quem siccitas acuit, omnia absumat.*
  - **Passionibus,** *tum*
    - **Internis.** *Plurimum uigilant. Somnia ualde clara & perspicua.*
    - **Externis.** *À calidis uehemẽter lædũtur. Ab humidis iuuãtur.*
- **Capiti** *adnatis, tum*
  - **Interius.** *Nempe à*
    - **Venis,** *quæ ratione caliditatis latæ esse debebant, à siccitate tamen coërcentur. Proinde minores sunt quàm in simpliciter calido cerebro, maiores quàm in simpliciter frigido.*
    - **Arterijs,** *quæ eo uehementius pulsant, quanto calor à siccitate magis fuerit intensus.*
    - **Neruis** *sensitiuis, qui utpote molles & humidiores egregiè se habent: Motiui uerò, quia duri & sicciores, etsi ualidi sint, tamen diu motum perferre nequeunt: quia humidum nimis exiccatur.*
  - **Exterius,** *tum à*
    - **Cutis** *qualitate uel*
      - **Prima.** *Tangenti calor acris & mordens se offert.*
      - **Orta** *à primis. Facies bene colorata usque ad ætatem consistentiæ, minus tamen quàm in calida simpliciter, quia humiditas debita non adest.*
    - **Capillis.** *Quorum ortus celerrimus: caluitium citò superuenit. Substantia sunt craßi, solidi & planè rigidi. Figura crispi. Colore nigri, propter adustionem fuliginis.*

Cerebri CALIDI & HVMIDI *indicia hæc sunt, quæ deducuntur partim à*

- **Capite:** *ab aliquo interno tãtùm. Vt ab*
  - **Actionibus,** *uel*
    - **Animalibus** *tum*
      - **Internis:** *nimirum à*
        - **Phantasia,** *quæ ratione humiditatis facile recipientis εὐμάθειαν parit.*
        - **Iudicio** *uegeto, ratione caliditatis, & prompto, nisi humiditas maior turbet imagines.*
        - **Memoria** *bona, si cum duritia iungatur: sin cum mollitie, ut facilè recipit, ita facile quoque amittit.*
      - **Externis.** *Sensibus non satis uigent, propter humiditatem nimiam. Sunt tamen ad motum agiles, excitante calore, humiditate subinde fouente.*
    - **Naturalibus.** *Excrementa multa, ratione humiditatis, cocta tamen mediocriter: non ab alimento tantùm, sed etiam quia caput sua caliditate ab inferioribus materiã copiosam attrahit.*
  - **Passionibus,** *tum*
    - **Internis.** *Non possunt diu uigilare, causa humidi. Cùm obdormierint, simul graui somno opprimuntur, nec multò pòst excitantur, propter calorem. Somnia habent turbulenta, cùm calor quidem imagines excitet, humiditas uerò easdem confundat atque turbet.*
    - **Externis.** *Facile à calidis, maximè uerò ab humectantibus offenduntur. Itaque in Aquilone optimè se habent, peßimè uerò in Austro: replentur enim capita, & catarrhos patiuntur. Atque adeò sternutationes habent frequentißimas.*
- **Capiti** *adnatis, siue*
  - **Interius.** *Nempe à*
    - **Venis.** *Magnæ conspiciuntur oculorum uenæ, quia humidum abundat, quod à calore dilatatur & extenditur.*
    - **Arterijs** *amplis & largè ferientibus.*
    - **Neruoso** *genere ualido.*
  - **Exterius,** *ut à*
    - **Cutis** *qualitate*
      - **Prima,** *quia ad tactum calida & humecta persentitur.*
      - **Orta** *à primis. Rubicunda apparet facies, & εὔχροια, id est color bonus adest.*
    - **Capillis,** *qui tardius nascuntur quàm in calida uel sicca temperatura simpliciter, quia humiditas nimia impedit ortum fuliginis: tardiùs quoque eandem ob causam caluescunt. Figura recta, propter humiditatem. Color subflauus, quia calor nequit omnino exurere fuliginem.*

- Cerebri FRIGIDI & SICCI signa sumuntur tum à
  - Capite: uidelicet ab internis tum
    - Actionibus, tum
      - Animalibus, siue sint
        - In cerebro, & propter cerebrum. Sic ergo
          - Phantasia δυσμάθειαν habet, propter siccitatem.
          - Iudicium hebetudinem habet, propter frigiditatem, nisi tenuitas substantiæ suppleat defectum.
          - Memoria difficilis, propter siccitatem, maximè si cum duritie sit iuncta.
        - À cerebro & extra cerebrum. In iuuentute sensus & motus uigent, quia ætas adiuuat, sed progrediente ætate marcescunt.
      - Naturalibus. Excrementa interdum pauca, propter siccitatem, non omnino nulla: interdum plurima, quia frigiditas promouet, eaq; cruda. Quare inæquali fruuntur sanitate, inquit Gal. non simpliciter, sed sibi propria.
    - Passionibus, tum
      - Internis. In somno moderatio adest, quia siccitas impedit somnum naturaliter, frigiditas eundem conciliat præter naturam.
      - Externis. Minima ex causa frigida capiuntur destillationibus, quia potentia resistendi causis externis debilis ualde est. Iuuantur econtra à leuiter calefacientibus.
  - Capiti adnatis, tum
    - Interius, uidelicet à
      - Venis, quæ nullæ in oculis conspiciuntur.
      - Arterijs, quarum motus non percipitur.
      - Neruis inualidis per se, nisi quantum iuuenilis calor illos firmarit.
    - Exterius, nempe à
      - Cutis qualitate
        - Prima, frigida: & celerrimam senectutem circa caput ostendunt.
        - Orta à primis: ἄχροια & color mustellinus.
      - Capillis, qui tardè oriuntur: nec caluescunt, nisi siccitas maior fuerit frigiditate, ita ut materia deficiat, tunc enim parum calui fiunt. Substantia sunt tenues, quia malè nutriuntur. Colore ruffi, quia materia pituitosa prædominatur calori. Citò canescunt, quoniam materia quamuis pauca à debili calore nequit gubernari, proinde putrescit. Figura recti.

- Cerebri FRIGIDI & HVMIDI signa deducuntur partim à
  - Capite ipso: ab internis tum
    - Actionibus, uel
      - Animalibus, siue sint
        - In cerebro & propter cerebrũ: nempe à
          - Phantasia, quæ ratione humiditatis εὐμάθειαν habet.
          - Iudicio, quod propter frigiditatem tardũ est & hebes, eoq; magis q̃a humiditas turbat imagines.
          - Memoria, quæ ratione humiditatis uel facile recipit, cum duritie coniuncta, uel facile amittit, si mollities adsit.
        - À cerebro & extra cerebrum. Sensus minime uegeti, & motus segnis.
      - Naturalibus. Excrementis redundant.
    - Passionibus,
      - Internis. Somno facilè capiuntur, eoq; profundo & graui. Somnia aut nulla, aut certè non manifesta.
      - Externis. Caput frigiditati ac repletioni habent obnoxium: quare destillationibus & grauedinibus facile capiuntur.
  - Capiti adnatis, tum
    - Interius, nempe à
      - Venis, quarum aliquæ saltem conspiciuntur, merito humiditatis, etsi exiles.
      - Arterijs, quarum motus nullus est.
      - Neruis, qui debiles sunt & inualidi.
    - Exterius, uidelicet à
      - Cute, quæ quidem
        - Frigida & humecta tangenti apparet.
        - Decolor est intuenti.
      - Capillis, qui tardißimè proueniunt: cùm prouenerint, nunquam cadunt. Substantia tenues & flexiles. Figura plana. Colore albo, magis minus, pro uaria proportione humiditatis & caloris debilis, quem Frigiditatem Medici uocant.

CAPVT IX. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS OCVLORVM TEMPERIEI inæqualis,& idcirco insalubris simpliciter,id est,ex sui natura:quamuis,ut nunc, respectu corporis cui connata est,salubris uideri posșit. Tractat autem illa generaliter,non particulariter aut distinctè.

CEREBRI *signa explicauit,in quib. crebra mentio facta est sensuum & sensoriorum. Nam orta à principijs attestantur naturæ suorum principiorum. Idcirco nunc Gal. huius rei periculum facit in* OCVLIS, *tum quia oculi præstant dignitate reliquis sensuum organis (nam propter oculos cerebrum est factum, hoc est, in tam alto situ à natura collocatum) tum quia mirabili artificio sunt cōpositi, & non nisi summa cum diligentia possunt curari. Reliqua sensoria eadem methodo cognosci possunt. Fontes igitur signorum temperaturæ oculorum inæqualis seu insalubris, differunt paulò à fontibus signorum capitis, quia etiā natura partis à qua sumuntur diuersa est. Ducuntur enim uel ab*

- Interno, *quod sensibus non ita patet: nimirū à potentia tum*
  - Agendi. *Actio uel*
    - Animalis, *non illa quæ soli cerebro cōuenit, intellectiua scilicet, sed quæ à cerebro per neruos in uniuersum dispergitur corpus, nempe*
      - Sensitiua. *Quæ in oculis duplex est, ratione duplicium neruorum: altera quidem communis, scilicet sensus tactus, de qua nihil in præsentia, sed infrà in paßionibus: altera uerò propria, uidendi scilicet, ipsa nimirum uisio, ex cuius uirtute aut uitio temperaturam oculorum interdum deprehendimus. Vide in seq. signum* A.
      - Motiua, *quæ administratur per musculos, in quorum numero Anatomici cōtrouersantur. Motus uel est*
        - Velox, *qui caliditatem indicat, maximè si reliqua signa consentiant. Crebrò oculis conniuent.*
        - Tardus, *quia musculi lāguent, propter frigiditatem.*
        - Mediocris, *indicat temperaturam mediocrem.*
    - Naturalis, *quæ per sua excrementa cognoscitur, nempe per læmas & lacrymas. Sunt uel*
      - Nulla, *in calida & sicca, aut in sicca tantùm temperie.*
      - Multa, *in humida temperie: & rursus uel sunt*
        - Cocta, *indicant humidam & calidam, aut humidam tantùm.*
        - Cruda, *indicant humidam & frigidam, aut frigidam tātùm.*
      - Pauca, *in sicca temperie: & uel*
        - Cocta, *indicant siccam & calidam, uel calidam tantùm.*
        - Cruda, *siccā & frigidam, uel frigidam tantùm.*
      - Mediocria, *indicant temperaturam mediocrem.*
  - Patiendi, *quæ in oculis gemina est, tum ut est pars*
    - Similaris. *Sic læditur à rebus externis uel frig. uel cal. quando temperaturæ suæ sunt uel cōtrariæ, uel similes quidem, sed excedentes. Et noxam hanc oculus promptißimè sentit, quia exquisitißimum habet sensum tactus.*
    - Organica, *quæ uidendi munere fungitur. Sic quidem à multo & immoderato lumine externo offenditur quiuis oculus: à pauco uerò seu moderato non quiuis, sed ille tantùm, qui paucos habet spiritus & imbecilles, quia nequeunt resistere, sed dißipantur.*
- Externo, *quod sensib9 patet. Accidēs aliquod, quod sequitur uel*
  - Materiā: *nempe*
    - Magnitudo, *tum*
      - Totius *bulbi. Nam oculus*
        - Magnus, *indicat materiæ multitudinem.*
        - Paruus, *paucitatem.*
      - Venarum. *Quæ ut cerebri temperiem tum calidam tum frigidam denotabant, ita multo magis ipsius oculi. Gal. tamen ueluti satis manifesta & iam antè dicta omisit.*
    - Locus: *ad quem refertur Situs oculorum uel*
      - Altus *& prominens, qui indicat temperaturam calidam; quia calor protrusit: magis tamen humidam, & sequacem materiam. Et hi propinqua exquisitè cernunt, quia crystallinus humor facile ab externo lumine illustratur: remota obtusè, quia dißipantur radij.*
      - Humilis *& profundus, propter temperaturam frigidam & siccam, magis tamen siccam, quia propter siccitatem non potuerunt oculi longius promitti. Remota cernunt exquisitè, propinqua obtusè.*
  - Formam. *De quibus in seq. sub signo* B.

- A. Pro uisionis natura cognoscēda, illud notandum, quòd oculus ipse totus uidendi organum est, corpus nimirum dissimilare, partes habens uisioni inseruientes alias
  - Principes. Humor uidelicet Crystallinus, in medio oculi situs, ut & tutus esset, & à luce externa illuminari posset: lumen habens innatum, quo illuminat albugineum, excitatus à lumine externo. Huius animad uerti debet tum
    - Quantitas. Nam si sit
      - Multus, quia lumen natiuū plurimum ex se mittit, etiam uisio est ualidior, maximè noctu.
      - Paucus, uisio quoq; imbecilla, noctu præsertim: interdiu robustior.
    - Situs. Nam si oculi
      - Altè promineant, humor quoque crystallinus facile illustratur à lumine externo: itaq; propinqua acutè cernit, remota non item, quia radij dissipantur.
      - In profundo lateant, non potest commodè crystallinus humor illustrari: proinde propinqua non cernunt, sed remota, quia ex profundo emissi radij colliguntur & uniuntur.
  - Non principes, sed coadiuuantes. Quæ uariæ sunt, nempe
    - Humores duo, uidelicet
      - Vitreus, qui crystallinum innatantem fouet, & suo humido reficit. Itaque si exiccetur, necesse est crystallinum tabescere.
      - Albugineus, qui implet rugas pupillæ, & prohibet subitum luminis occursum. Oportet esse paucū, tenuem & purum, ut bona uisio fiat. Si ergo peccet in
        - Substantia, non sit tenuis, neque purus, cùm lumen nec trāsmitti nec recipi sinat, uisionem hebetem efficit.
        - Quantitate, quia plurimus est, quamuis purus, non admittit lumen: sin paucissimus, non defendit lumen innatum, itaque dissipatur à uehementia luminis externi.
    - Tunicæ duæ tātùm, nempe
      - Cornea, quæ tegit pupillam oculi, per quam species uisiles transmittuntur. Quòd si debitò crassior fuerit, uisionem hebetat: ut in Pustulis & Albuginibus apparet, item in Cicatricibus.
      - Vuea, cuius pars media Iris dicitur, foramen uerò Pupilla. Itaque uel
        - Dilatatur, efficit μυδρίασιν dictam, quia lumen externum irrumpit confertim, ita ut sub sole nihil omnino uideant.
        - Tabescit, efficit pupillæ tabem, & φθίσιν, quia angustior, obscurior & rugosior fit, proinde nec recipi lumen externum, nec emitti internum potest.
    - Nerui optici: qui deferunt spiritum & facultatem uidendi à cerebro, atque idcirco perforati conspiciuntur soli ex omnibus neruis, quantum quidem sensu deprehendi potest. Quòd si ergo obstruantur, uisio fieri nequit.
    - Spiritus à cerebro influens, ueluti organum & uehiculum facultatis proximū. Qui quidem tum quātitate tum qualitate seu modo substātiæ uisionem uel promouet uel impedit. Nam si sit
      - Multus atq;
        - Purus, uident acutè non tantùm propè, sed etiam procul.
        - Impurus, uident acutè procul tantùm, non autē propè, quia spiritus impurus in spacio medio longinquo quodammodo attenuatur.
      - Paucus &
        - Purus, uident tantùm propinqua acutè, longinqua obtusè.
        - Impurus, nec propinqua nec distantia acutè uident: sed longinqua omnino non uident, propinqua obtusè tantùm.

B. Qualitas *formalis oculorum, consequitur uel*

- Temperaturam, *ex mixtione qualitatum primarum ortam. Temperies autem oculi propria est frigida & humida, si cum reliquis partibus conferatur: sin per se consideretur, temperatus oculus mediã habet temperiem, à qua deflectunt oculi intemperati, & apparent ad tactum*
  - Calidi, *natura sua, à nulla re externa immutati: calidam indicant temperiem.*
  - Frigidi, *frigidam.*
  - Molles, *humidam.*
  - Duri, *siccam.*
  - (Molles, Duri:) A secundis *qualitatibus signa sumit Galenus, quia euidentius sensum mouent, quàm primæ passiuæ.*
- Conformationem. *Figura oculorum alia est*
  - Concinna, *siue naturalis, Oblonga scilicet, ut sensibilia quæ ad latera occurrunt promptius recipere possent. Cuius quidem figuræ causa est robur facultatis formatricis, & materia sequax.*
  - Inconcinna *siue non naturalis, Rotunda scilicet, denotat aut imbecillitatem formatricis, aut materiæ crassitiem & contumaciam. Præsertim si actionum imbecillitas adsit.*
- Vtrunq; : *quia color oculorũ non ex sola temperie, sed etiam ex compositione humorum et tunicarum prouenit. Est autem qualitas impressa à lumine corpori perspicuo terminato. Itaq; oculi color, id est, illius partis, quæ bulbi cãdore & foramine nigro uueæ (ubi concursus est multarũ tunicarũ, ex quarũ uario colore Iris efficitur) circumscribitur, habet tum*
  - Efficientem *causam, lumen uidelicet innatum crystallini, quod euocatur & in actum deducitur à lumine externo, ut radios suos in albugineum emittat. Lumen ergo uel est*
    - Multũ. *Calidos reddit oculos.*
    - Paucum. *Frigidos oculos efficit.*
  - Materiam *subiectam, corpus diaphanum terminatum, humorem uidelicet albugineũ, qui uarius est tum*
    - Substantiæ *modo. Nã uel*
      - Tenuis. *Lumen facile admittit.*
      - Crassus *& impurus. Lumen difficulter admittit.*
    - Quãtitate, *uel est*
      - Multus. *Nequit lumen penetrare. Et humiditatem denotat.*
      - Paucus. *Potest penetrare. Denotat siccitatem.*
  - (Efficientem, Materiam:) *Iam ergo ex collatione efficientis & materiæ uarij deducuntur colores, qui nobis temperaturam oculi indicant. Gal. duos summos statuit, in quibus itidem gradus uarij dãtur, ratione maioris & minoris. Ex his autem duobus colores reliqui deduci possunt. Aut enim*
    - Lumen *multum est, albugineus paucus atque purus. Oritur color Glaucus. Indicat oculos siccos, atq; etiã calidos. Quòd si cerebrum quoq; tale est, sagacitas ingenij aderit, & sensuum atq; motus integritas. Merito ergo ueteres Palladem γλαυκώπιν finxerunt, quæ ingenijs pariter et armis præsset.*
    - Lumen *paucũ est, albugineus multus & impurus. Oritur color Niger. Indicat humidos oculos & frigidos. Cernunt interdiu melius q̃ sub noctem. Econtra Glauci melius noctu quàm interdiu.*

AVRIVM, NARIVM, LINGVÆ ET PALATI TEMPERATVRÆ *eadem methodo per sua signa dignosci possunt. Satis fuit Gal. in uno sensorio, eoq; præcipuo, nimirum in oculis, nos exercuisse, præsertim cùm reliqua sensoria parum admodum ad cerebri temperaturam indicandam conferre uideantur.*

CAPVT X. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS TEMPERATVRÆ SIMplicis insalubris ipsius CORDIS.

Cerebri *signis expositis, aggreditur signa* CORDIS: *quod secundum est uiscus princeps, cùm calorem per uniuersum corpus distribuat, & cum calore uitam trãsfundat. Signa igitur ab iisdem deducũtur fontibus, paucis quibusdã pro natura partis immutatis. Quæ etsi Gal. hîc generaliter nõ tractat, nos tamen clarioris intelligentiæ gratia, & ne in particularibus subinde eadem repetere cogamur, theoriam signorum cordis generalem instituemus. Cor igitur uiscus princeps & fons caloris, uim suam in totum corpus transmittit. Proinde signa quoque sumuntur uel ab*

- **Ipso corde,** *& uel ab aliquo*
  - **Interno,** *quod proximè comitetur naturam partis: nimirũ à potentia tum*
    - **Agendi.** *Actiones cordis uel sunt*
      - **Communes.** *Naturales uidelicet, quæ per sua excrementa cognoscuntur, siue excernantur per*
        - **Pulsum** *in Systole, & per Expirationem. De quibus agemus in Pulsu & Respiratione.*
        - **Pilos** *in thorace & hypochõdrijs, quorum causa est calor & siccitas. Itaque pili uel sunt*
          - **Multi:** *indicant cor calidum & siccum, magis, minus.*
          - **Pauci,** *indicant cor frigidum & humidum, magis, minus: ut in particularibus signis ostendetur.*
      - **Propriæ,** *quæ cordi conueniunt, quatenus est membrum princeps. Pro quarũ intelligentia illud est not. in corde duplicem esse uim: unam, quæ ad indiuidui cõseruationem facit, hoc est, ut animal sit, & uiuat, nam hac facultate calor, qui præcipuum uitæ principium est, fouetur & reficitur: alterã, quæ ad indiuidui perfectionem facit, siue ut animal bene sit, & rationis imperium sequi & exequi possit: quapropter* ὀργητικὴ *seu* θυμοειδὴς *dicitur, & à Platone militi assimilatur. Vt ergo duplex est uis cordi innata, ita quoque actiones duplices, aliæ quidem*
        - Ἠθικαὶ, *Morales, quatenus animæ uis irascibilis rationis imperio parere cupit. Ratio enim quid fugiendum sit uel sequendum dictat, et uel spe, uel timore, uel uoluptate, uel dolore, uim animi irascibilem excitat. Quæ quidem prout uel facile uel difficulter excitatur, ita quoq; uarios affectus, quos* πάθη *uocant, producit: ex quibus, cùm à temperie cordis pendeant, signa quoque temperaturæ cordis desumũtur. De quibus in seq. sub signo* A.
        - Ζωτικαὶ, *Vitales, quatenus corpori uniuerso uitalem calorem per arterias impertiuntur. De quibus in sequẽtibus, sub signo* B.
    - **Patiendi** *à causis externis, tum similibus immoderatis, tum etiam contrarijs. In quibus eædem sunt obseruandæ regulæ, quæ in temperaturis capitis dijudicandis ex passiua potentia à nobis sunt superiùs allatæ. Porrò sicuti uariæ sunt qualitatum combinationes, ita quoque uarij morbi possunt cor affligere, quatenus est similaris pars: nulli aut certè paucissimi & rarissimi, ut est pars organica. Totius huius loci, qui à passionibus sumitur, Gal. nuspiam meminit, præterquàm in temperatura calida & sicca: uel quòd calidum & siccum cor* κατ' ἐξοχὴν *huiusmodi passionibus sit obnoxium, uel quòd cor ab externis lædi nequeat, nisi internæ causæ &* προηγούμεναι *euadant. At cerebrum & oculi etiam ab externis immediatè affici possunt.*
  - **Externo,** *nimirum ab accidente, ut à Magnitudine uel Figura. Sic cor paruum fortitudinis & animositatis causam esse aiunt: magnũ uerò timiditatis. Tamen quia accidentia ista ad cõpositionem potius quàm ad temperaturam spectant, neq; sub sensum cadunt, & si aliquid momenti habent in affectibus imprimendis, non per se habent, sed ratione temperaturæ, ideo Gal. illorum non meminit.*
- **Alijs.** Vide in seq. signum *

* Alijs, quibus uim suā in primis. Sumuntur ergo uel à
  - **Toto** *corpore, cui uitalem calorem cõmunicat. Itaq; quale fuerit cor, talis etiam totius constitutio ipso sensu percipietur: cum hac tamen exceptione,* NISI HEPAR *obstiterit. Pro cuius intelligentia not. est, Cordis temperaturam optimam per se quidem esse temperatã, sin cum alijs partibus conferatur, esse cal. in primis & siccam: Hepatis uerò esse humidam inprimis & calidam. Cor siquidem fons est caloris, Hepar uerò humidi, in quibus uita consistit. Itaq; si duo ista uiscera principalia habeant temperaturas*
    - **Similes** *& æquales, necesse est uniuersum corpus eandem temperiem in toto habitu ostendere. Vt si utrunque uiscus sit calidum & siccum.*
    - **Dissimiles** *& inæquales, pugnabunt inter se, & alterũ alterius impressionem impediet. ita tamen, ut qualitas illa, in qua quodlibet uiscus excellit naturaliter, sua in totũ corpus immutet, & alterius uisceris qualitatem refringat: quandoquidem sanguis non prius in corpus totum distribuitur, quàm per cor transierit, & illic à spiritu uitali quodãmodo animatus fuerit. De hac autem repugnantia uiscerũ uide Gal. infrà cap. 13. in compositis hepatis intemperiebus. Sic ergo*
      - **Cor**
        - Humidum, Siccũ, Frigidum, Calidũ — *In alteratione totius uincit hepatis*
          - **Siccitatem** *nullo modo.*
          - **Humiditatem** *promptè.*
          - **Caliditatem** *promptiùs.*
          - **Frigiditatem** *promptißimè.*
      - **Hepar**
        - Calidũ, Frigidũ, Humidum, Siccum — *In alteratiõe totius uincit cordis*
          - **Frigiditatem** *nullo modo.*
          - **Caliditatẽ** *mediocriter, quia generat sanguinem frigidum.*
          - **Siccitatem** *mediocriter.*
          - **Humiditatẽ** *mediocriter.*
  - **Partibus** *uicinis siue continentibus, seu ab ipso loco, nimirum à thorace. (quemadmodum capitis temperies à ceruice iudicabatur.) Ab adnatis arterijs signa non sumuntur, uel quia sensui non patent oculorum, ut uenæ, uel quia sub pulsu comprehenduntur. Thoracis ergo perpendenda est*
    - **Qualitas** *uel calida uel frigida, quæ euidentius in thorace quàm in reliquo corpore deprehenditur, propter uicinitatem, & minus ab hepate impeditur. Huc etiam dispositio thoracis hirsuta uel glabra referri poterat, nisi illam commodiore loco in naturalibus actionibus tractassemus.*
    - **Quantitas.** Natura locum corpori locato similem efformat magnitudine & quantitate. Itaq; si cor calidum sit, uehemẽtem refrigerationem per pulmones desiderat: ergo thorax latus, ut multum dilatari poßit. Econtra strictus, si cor frigidũ. Cum hac tamen exceptione, NISI caput obstet, à quo spina oritur, à spina costæ & dorsum. Attestãtur autem orta à principijs naturæ suorum principiorum. Quòd si ergo duo ista uiscera, caput scilicet & cor,
      - **Consentiant,** *nempe quia utraq; sunt uel*
        - **Magna** *& lata, indicant cor calidum, non necessariò tamen, nisi reliqua signa consentiant.*
        - **Parua** *& angusta, indicant cor frigidũ, nõ tamẽ necessariò.*
      - **Dissentiant,** *nempe quòd sit*
        - **Thorax** *latus, caput paruum, indicat necessariò cor calidum.*
        - **Thorax** *angustus, caput magnũ, indicat necessariò cor frigidum.*

A. **Quatenus** *anima irascibilis paret rationis imperio, eatenus quoq; uarias subit mutationes, pro diuersitate rerum incidentiũ.* πάθη dicũtur Græcis, quòd anima recipiẽdo pati quodammodo uideatur: dicũtur & ἤθη, καὶ πράξεις ἀδηλοῖ, quoniam signa & notas quasdam in corpore exterius ostendunt. ἦθος porrò duplex. Aliud quidem acquisitum uel τῷ ἔθει, id est longo usu & assuetudine, uel præceptis philosophiæ, in quo uirtutes & uitia Ethicæ sapientiæ consistunt. Aliud uerò innatum, quod φυσικὴν ἀρετὴν καὶ κακίαν, ut in 6. Ethic. Arist. docet, complectitur. Nos in præsentia de Insitis loquimur, quas ὑποτυπώσεις seu procliuitates alij, Plato igniculos naturales uocabat Dependent autem à temperatura cordis, & ad caloris uel excessum uel defectum omnes referuntur. Nam & magnitudo cordis pusillanimitatem, & paruitas cordis audaciam, ratione caloris uel dispersi uel collecti, efficit. Cæterùm pro diuersitate obiectorum, ex quibus uel uoluptate uel dolore perfunduntur animi, uaria πάθη oriuntur, quæ diuersimode inter se mutuo opponi possunt, ex subiecto, ex tempore, ex personis, &c. infinitis quoque modis inuicem coniungi. Gal. à præcipuis tantùm signa sumit. Verùm quia distinctio τῶν παθῶν est philosophica, & satis obscura, explicãda erit breuiter. πάθος igitur siue affectus animi in sui cõsideratione duo habet, uidelicet

- **Actionem.** Vide in seq. signum ✠
- **Passionem,** *id est receptionem, quatenus ab incidentibus animus cõmoueri potest. Hic paßiuæ qualitates plurimùm possunt. Cor humidum facile recipit, siccum difficulter. Proinde* εὐκίνητοι καὶ δυσκίνητοι *dicuntur, hoc est prompti & segnes ad actiones, non quasuis, neq; corporeas, sed ad eas, quæ animæ irascibilis propriæ sunt. Prompti autem euadunt, quia facile mouentur: segnes, quia difficulter. Plurimùm interim momenti habet calor, qui uim irascibilem excitat, ut receptionem uel negligat uel amplectatur.*

*** Actionem** *siue effectum ipsum, qui aliquod πάθος in corpore exterius parit. In hac autem actione obseruamus*

- **Tempus**, *quo motus durat. Imprimitur enim cordi impreßio hæc, & pro cordis temperie parum uel diu permanet. Diu quidē, si ualida impreßio facta sit à causa uehemente, & egregia receptio à substantia solida, quæ retinet impreßionem, non ab humida aut fluida, quæ impreßionem statim amittit. Parùm uerò, si tum efficiens causa imprimens fuerit debilis: tum recipiens uel plus æquo durum, ut nequeat imprimi, uel plus æquo molle, ut impreßionem nequeat seruare. Dura igitur & sicca substantia diu retinet impressa: Mollis uerò & humida statim amittit: accedente insuper simili proportione ipsius efficientis.*
- **Motum**, *hoc est actionem, uelut effectum animæ irascibilis. Vtitur autē anima calore uelut instrumēto. Calor enim uim irascibilem excitat, atq; eandem excitatam πάθος aliquod mouere cogit. Itaq; motus huius causa efficiēs est anima θυμοειδὴς, coadiuuans seu instrumentaria est calor: qui quidem si imminutus sit, à medicis frigiditas appellatur. Ergo uel à calore mouente debili aut uehementi, uel à frigore motum impediente, omne πάθος oritur. παθῶν porrò natura obscura & confusa est, atque etiam nominum mira amphibolia. Nos hîc rudi minerua differentiam τῶν παθῶν ex obiecto aßignemus. Obiectū enim uel est*
  - **Bonū**, *siue felix euētus. Varia hinc πάθη oriuntur, tum ratione*
    - **Personarum.** *Quoniā bonum istud euenit uel*
      - **Nobisipsis.**
      - **Alijs.** *Circa illud afficimur uel*
        - **Per se**, *quòd poßidentes bonis his uel sint*
          - **Digni.** *Oritur φιλία, quæ uult bona alicui illius causa, hoc est, quia dignus est. Quòd si insuper uoluntatē hanc suam facto confirmet, dicitur Χάρις. Opponuntur istis, ἀχαριστία καὶ φθόνος.*
          - **Indigni.** *Oritur Νέμεσις.*
        - **Respectu nostri.** *Quatenus uel*
          - **Personæ** *poßidentes sunt nostri*
            - **Amici.**
            - **Inimici.** *Propriè dicitur Μῖσος.*
          - **Res** *bonæ ab alijs possessæ sunt nostris*
            - **Maiores.** *Ζῆλος oritur, non quia illi, sed quia non sibi.*
            - **Minores.** *Καταφρόνησις.*
    - **Temporis.** *Sunt enim bona uel*
      - **Præsentia.** *Dicitur Χαρὰ propriè.*
      - **Futura.** *Spes in uniuersum. Cui opponitur Pusillanimitas & Desperatio. In particularibus deinde uaria sortitur nomina, quāuis genus sit unum & idem. Sic Θάρσος ἐπὶ τῶν σωτηρίων ἐλπίς.*
  - **Malum**, *siue infelix euentus. πάθη distinguūtur tum ratione*
    - **Personarum.** *Afficimur uel erga*
      - **Nosipsos**, *aut aliquem amicorum. Ira, uel leuis, uel firma, secundùm magis & minus. Cui opponitur Πράυνσις καὶ ἀοργησία.*
      - **Alios**, *uel*
        - **Per se**, *quòd his malis uel sint*
          - **Digni.**
          - **Indigni.** *Oritur ἔλεος.*
        - **Respectu nostri**, *quia uel sunt*
          - **Amici.**
          - **Inimici.** *Oritur ἐπιχαιρεκακία.*
    - **Temporis.** *Mala uel sunt*
      - **Præsentia.** *Generaliter dicitur δυσθυμία καὶ ἀθυμία. Particulariter nomina uariant. Sic in ijs quæ ad honores aut dignitates spectant, est αἰσχύνη καὶ ἀναισχυντία.*
      - **Futura.** *Oritur Φόβος.*

B. **Vitales** *actiones dicũtur, quoniam uitam corpori largiuntur. Vita in calido ueluti formali principio consistit, quod à corde influit: & in humido, ueluti materia, quod ab hepate conficitur. Ideo* κατ᾽ ἐξοχὴν. *cordis actio uitalis dicta est, quia fundamentum uitæ præcipuũ, calorem scilicet, reliquo corpori impartitur. Calor ergo cordi innatus subinde per motum generatur, & per alimentum affluens nutritur. Intelligo autem motum naturalem, non uoluntarium: hic enim cordi inditus est, ut calorem foueat, à quo uicißim motus ipse fouetur. Itaq; nec musculis eget, sed ipsum cor seipsum mouet: ut proinde non ineptè à ueteribus Musculus quidam seipsum perpetuò mouens dictum fuerit. Verùm quia excrementa generãtur, ideo excerni debebant, ne calor à fuliginibus opprimeretur. Quare duplicia instrumenta fabricauit natura, quibus calor euentilari, & fuliginosa excrementa expelli possent, pulmones scilicet & arterias. Horum enim utrorun que idem est usus, eadem uis & significatio: magnitudo tantùm organi uarietatem aliquam parit, quæ tamen proportione geometrica conciliari potest. Proinde ab alterutro istorũ instrumentorum signa sumpta, ad cordis temperiem indicandam sufficiunt. Explicemus ergo naturam instrumentorum, per quæ anima uitales actiones obit. Sunt autem folles duplices: alij quidem*

- **Magni**, *pulmones scilicet, quorum ueluti fistula est arteria trachæa. Hi quia uicini cordi, & quia effectum suum, respirationẽ uidelicet, manifestũ sensib. habẽt, ideo Hipp. respirationi plus tribuit, quàm pulsui. Tamen propter põdus suum & frequentes destillationes, certitudinem indicãdi sæpe amittunt. Porrò ut respirationis naturam, differentias & indicia cognoscamus, causas illius continentes (quemadmodum Gal. in pulsibus fecit) inuestigemus. Causæ ergo Respirationis sunt tres, nempe*
  - **Finis**, *ut calor qui in corde est euentiletur, & excrementa fuliginosa expellantur. Quòd si ergo duplex ista neceßitas sit*
    - **Æqualis**, *respiratio uel* Magna *erit, in corde calido, uel* Parua, *in frigido: atque eodem modo se habebit* Expiratio. *Cum hac tamen additione intelligi debent, ut thoracis debita sit proportio.*
    - **Inæqualis**, *erit & motus, erit & tempus inæquale. Nanque si maior fuerit neceßitas*
      - **Euentilandi**, *pro magnitudine succedet* Frequentia *in respiratione.*
      - **Expellendi** *fuligines, pro magnitudine succedet* Velocitas *in expiratione.*
  - **Facultas** *uelut efficiens. Hæc igitur, consentiente instrumento, uel est*
    - **Fortis**. *Quare pulmones ualidè attollit, excrementa expellit, calorem expirando uentilat.* Respiratio Vehemens.
    - **Debilis**. *Respiratio quoque efficitur* Debilis.
  - **Instrumentum**. *Quod quidem est duplex, tum*
    - **Princeps**, *pulmo uidelicet. Qui etsi cordis temperiem ut plurimùm imitatur, potest tamen & natiua & aduentitia qualitate discrepare, & respirationem ipsam alterare, non tantùm in qualitatibus primis, sed etiam in ijs differentijs, quæ uel à fine uel à facultate proficiscuntur.*
    - **Non princeps**, *thorax scilicet: qui si proportione respondeat cordis caliditati, nec pulmo sit uitiosus, à respiratione certum habemus indicium temperaturæ cordis: sin minus, incertum. Magnitudo igitur thoracis si cordis temperiem sequatur, non cerebri, tunc respiratio & pulsus erunt in omnibus æquales: sin cerebri sequatur temperaturam, discrepabunt. Quocirca etiam pulsus certior iudicari debet, quia non nisi à corde potest mutari: thorax uerò à corde simul & à cerebro.*
- **Parui**. *Vide in seq. signum* †

† Parui, *Arteriæ per uniuersum corpus dispersæ. Conueniunt in fine & facultate cum respiratione, differunt in instrumento. Proinde signa pulsus & respirationis ubique sunt æqualia, nisi quantum thoracis magnitudo ea turbat. Gal. tres causas continentes pulsuum aßignat, à quibus itidem sex differentiæ pulsuum simplices (ex his enim compositæ emergunt) dependent, quæ ad dignoscendam cordis temperiem plurimum ualent. Nam à*

- Fine *colligimus, quòd necesitas tum euentilandi tum expellendi fuligines uel sit*
  - Æqualis. *Itaque orietur pulsus uel*
    - Magnus, *quando utraque necesitas urget. Cognoscitur autem, quia secundum omnes dimēsiones magnitudinem præ se fert.*
    - Paruus, *quando neutra necesitas urget, consentiente instrumento.*
  - Inæqualis: *quia necesitas*
    - Euentilandi *uel est maior, & pulsus in Diastole fit frequens: uel est minor, fit tardus.*
    - Expellendi *fuligines uel est maior, & pulsus in Systole redditur uelox: uel est minor, & redditur rarus.*
- Facultate
  - Debili, *pulsus oritur debilis.*
  - Robusta, *pulsus prouenit uehemens.*
- Instrumento, *hoc est ab arteria, quæ attestatur principio suo, cordi scilicet, à quo oritur, differentiæ sumuntur ratione qualitatis à corde impressæ tum*
  - Primæ, *quia uel calida est uel frigida si tangatur. Talis ergo & pulsus esse dicitur.*
  - Secundæ. *Sic pulsus & mollis & durus reperitur.*

Post *tractationem generalem signorum cordis, ad particularem explicationem temperierum inæqualium (quæ insalubres sunt simpliciter, etsi ut nunc salubres dici poßint) accedamus. In quibus illud est ante omnia constituendum, cordis temperaturam naturalem, si ad actionum suarum bonitatem expendatur, in mediocritate consistere: sin cum alijs uisceribus, calidam & siccam uideri. Quādo autem à mediocritate sua naturali optima deficit, dicitur insalubre. Verùm deficit, quia excedit in qualitate simplici primùm, deinde in composita. Nos Galenum secuti, primùm de simplicibus agamus.* CORDIS *ergo* CALIDI *signa Diagnostica sumuntur tum ab*

- Ipso corde, *nimirum ab interna tum*
  - Actione, *uel*
    - Communi, *naturali scilicet, quæ per sua excremēta, uidelicet per pilos thoracis, seipsam prodit. Thorax enim hispidus est, præsertim pectus, & quæcunque hypochondrijs partes proximiores sunt.*
    - Propria, *à qua signa sumuntur inseparabilia & propria. Nempe ab actionibus tū*
      - Moralibus. *Sic ergo prompti sunt ad actiones obeundas. Quarū aliquas tantùm hic Gal. commemorat. Nam in*
        - Incipiendo, *quamuis res uideatur ardua & periculosa, sunt audaces, & si magis caliditas increscat, etiam temerarij: quia calor mouet, nec rationis imperio parere nouit.*
        - Persequendo *sunt uehementes. Itaq; omnia ea quæ obstāt ægre ferunt, & irascuntur, etiam cum furore quodam, si uehementer calor augeatur.*
      - Vitalibus. *Vide in seq. signum* ‡
  - Paßione. *Cor calidum cum facultate robusta ualidè resistit causis contrarijs. A similibus tamen immoderatis propter symboliam promptè quoque læditur. Vnde ephemeris & hecticis sunt obnoxij.*
- Alijs, *tum à*
  - Toto *corpore, quod tactu calidum apparet, nisi hepar frigiditate sua obstet. Resistentia autem ista est mediocris, & remittit tantùm caliditatem, non omnino immutat. Sin hepar non obstet, sed consentiat, calidißimum tactu corpus apparebit, & facies florida ualde.*
  - Thorace. *Cuius quidem*
    - Quantitas *aucta est, nisi cerebri debilitas obstet. Euidentißimum ergo caliditatis signum erit, si caput sit paruum, thorax uerò amplus & latus.*
    - Qualitas *calida indicat fontem caloris, quem continet, in caliditate excedere.*

Vitalibus: *nempe à*
- Respiratione: *si necessitas duplex sit*
  - Æqualis, *& thorax rectè se habeat, erit* Magna.
  - Inæqualis, *uel instrumenti aliquod sit uitium, tunc pro magnitudine succedet*
    - Frequentia *in respirando, quia calor euentilationem postulat.*
    - Velocitas *in expirando, ut expellantur fuligines, quas calor uehemens subinde generat.*
- Pulsu. *À fine tantùm Gal. signa sumit, tanquam efficaciora. Nos uerò tum à*
  - Fine, *quia necessitas uel est*
    - Æqualis. *Pulsus Magnus.*
    - Inæqualis. *Sic ergo tum*
      - Frequens, *in Diastole.*
      - Velox, *in Systole.*
  - Facultate, *uel*
    - Debili, *præsertim si calor quoque sit imminutus. Pulsus Debilis.*
    - Valida: *pulsus quoq; Vehemens, calore unà adiuuante. Proinde uidetur differentias à facultate omisisse, quòd ad finem quoque reduci possent.*
  - Instrumento, *non à secunda qualitate, quia hæc ad passiuas refertur, sed à prima, quòd ad tactum arteria calida apparet. Quamuis uix hoc accidat, ut naturaliter calidior sit arteria reliquo corpore: præter naturam autem calidiorem esse contingit, ut in hecticis. Atque ob eam causam uidetur Gal. pulsus differentias ab instrumento sumptas hîc omisisse, quia omnino ægræ sunt.*

Cor FRIGIDUM *signa habet, quæ ducuntur tum ab*
- Ipso corde; *tum ab*
  - Actione, *uel*
    - Communi, *naturali. Ab excrementis, quæ in thorace materia pilorum fiunt. Pectus glabrum.*
    - Propria, *tum*
      - Morali. *Segnes sunt ad actiones, timidi & pusillanimes, nec facile irascuntur.*
      - Vitali: *nam*
        - Respiratio, *correspondente thorace cordis frigiditati, pulsibus æqualis est, nempe parua, cùm necessitas non sit magna. Sin uerò maior sit thorax, quàm frigiditas cordis postulet (quia cerebrum & caput udidum est) tunc respiratio non tantùm parua, ut pulsus, sed insuper tarda erit & rara, quia necessitatem paruam cordis, minorem adhuc facit thoracis magnitudo.*
        - Pulsus *paruus est, æqualibus existentibus duabus necessitatibus. Quòd si frigidius adhuc fuerit cor, accedit in Diastole raritas: si minor copia fuliginum, in Systole erit tarditas.*
  - Passione. *À frigidis lædetur, à calidis iuuabitur.*
- Aliis, *nempe à*
  - Toto. *Corporis qualitas frigida, & decoloratio, ut hepar uel parum uel nihil omnino possit caliditate sua cordi obstare. Cor enim fons caloris esse debet, atq; adeò sanguis per se frigidus uideretur, nisi in corde quodammodo animaretur.*
  - Thorace. *Cuius quidem*
    - Quantitas *parua est, angusta & stricta: quæ euidentissimè frigidum cor arguit, si caput, à quo nascitur spina, magnum fuerit.*
    - Qualitas *ad tactum frigida deprehenditur.*

- Cordis SICCI *signa depromuntur ab*
  - Ipſo corde, *ab interna & inſita illius tum*
    - Actione
      - Communi, *ab excrementis ſiue fuliginibus, quæ in pilos abeunt denſos, robuſtos, paucos tamen, & thoracem ueſtiunt. Siccitas enim uelut materiale eſt principium fuliginis (ut calor efficiens ſeu formale) eaq́; acuit cordis calorem temperatum.*
      - Propria *tum*
        - Morali. *Non ſtatim excitantur, neque impreßionem facile recipiunt, ſed ſemel receptam diutiſſimè ſeruant. Quare etiam iram promptam quidem, ſed feram, & quæ non facile ſedari queat, concipiunt.*
        - Vitali. *Sic ergo pulſus duri ſunt, quia arteria dura: dura autem propter ſiccitatem. Reſpirationis hîc nulla habetur ratio, quoniam illius organa ſenſibus non patent.*
    - Paſsione. *Validè reſiſtit cauſis alterantibus. À ſiccis tamen & calidis, læditur promptius: ab humidis iuuatur.*
  - Alijs, *nempe à*
    - Toto corpore, *quod ſiccius eſt & ſquallidius, niſi hepar ſua humiditate obſtet: uincit enim hepatis humiditas cordis ſiccitatem non ſummè, ſed mediocriter tantùm, eo quia ſanguis per cor tranſit, priuſquam ad membra transferatur: itaque à corde qualitatem ſiccam contrahit.*
    - Thorace. *Cuius*
      - Quantitas *hîc non obſeruatur, quia à qualitatibus actiuis pendet, non à paßiuis.*
      - Qualitas *eſt arida & ſicca.*

- Cor HUMIDUM *ſigna præbet tum à*
  - Seipſo, *nempe ab interiori*
    - Actione *uel*
      - Communi *ſeu* naturali. *Pili thoracis pauciores quàm in ſicco corde, iiq́; molles planè & flexiles: quia humiditas obtundit uim caloris temperati.*
      - Propria: *tum à*
        - Morali. *Ad iram ſunt procliues, quæ tamen ſedari facile poteſt. Humidum enim facile recipit & amittit.*
        - Vitali. *Non à reſpiratione, ſed à pulſu, qui mollis eſt, propter arteriam humidam & mollem.*
    - Paſsione. *Facillimè patitur à cauſis externis. À ſiccis iuuatur.*
  - Alijs, *nempe à*
    - Toto corpore, *quod humidius exiſtit, niſi hepar obſtet, quod ſua ſiccitate reſiſtit mediocriter cordis humiditati: nam humidiſſimum cor ſiccius eſt hepate ſicciſsimo.*
    - Thorace: *à*
      - Quantitate *non ſumuntur ſigna, quia non ſequitur qualitates paßiuas.*
      - Qualitate, *ad tactum habitior eſt & ſucculentior.*

CAPVT XI. DE COMPOSITIS CORDIS INTEMPERATVRIS per sua signa dignoscendis.

Cor CALIDVM & SICCVM signa habet, quæ ex iisdē fontibus sumuntur, ex quibus simplices temperaturæ singulæ: nempe ab

- Ipso corde, ab interna illius
  - Actionum
    - Communi, *Naturali scilicet, quæ per pilos thoracis se prodit, qui sunt plurimi, robustissimi, duri & intorti.*
    - Propria, nempe à
      - Morali. *Ad actiones prompti sunt, calore urgente, Impudentes, Tyrannicis moribus præditi, quia facile irascuntur & furunt, difficulter uerò placantur.*
      - Vitali, nempe à
        - Respiratione *Quæ quidem, si necessitas uentilādi et excernendi fuliginis sit*
          - Æqualis, *magna est, thoracis magnitudine debita existente.*
          - Inæqualis, *quoniā magis urget*
            - Ventilatio, *fiet Respiratio frequens, præsertim si thorax sit minor quàm deceat.*
            - Expulsio, *fiet Expiratio uelox.*
        - Pulsuum ab
          - Instrumento, *quoniam arteria est*
            - Calida, *merito caliditatis.*
            - Dura, *ratione siccitatis.*
          - Fine *seu necessitate duplici: quæ si sint*
            - Æquales, *fit pulsus magnus.*
            - Inæquales, *quòd magis urgeat*
              - Euentilatio, *fit pulsus in Diastole frequens.*
              - Expulsio, *fit in Systole pulsus uelox.*
  - Passione. *Difficulter patitur à causis externis: quia siccitate sua resistit, calor autem consumit excrementa.*
- Aliis, nempe à
  - Totius *corporis qualitate calida & sicca: nisi hepatis frigiditas leuiter, & humiditas uehementius obstiterit.*
  - Thoracis
    - Quantitate *magna, nisi obstet caput paruum: caloris enim est dilatare.*
    - Qualitate *calida & sicca.*

Cor CALIDVM & HVMIDVM signa habet sumpta tum ab

- Ipso corde, ab internis illius
  - Actionibus, nempe à
    - Communi siue Naturali. *Minus sunt hirsuti, quàm ii qui cor habent calidum & siccum.*
    - Propria, tum
      - Morali. *Ad actiones ualdè sunt prompti, facile mouentur, & uehementer: tamen irā non est fera, quia ab humiditate mitigatur, neque diu durat.*
      - Vitali sic ergo
        - Respiratio *necessitate utraque existente*
          - Æquali, *magna est, & pulsui æqualis, consentiente quoque debita magnitudine thoracis.*
          - Inæquali, *& thorace non proportionato, pulsibus primùm est inæqualis, deinde ipsa quoque in*
            - Expiratione *est uelocior, si urgeant excrementa.*
            - Respiratione *est frequentior, si urgeat caloris augmentum.*
        - Pulsus *differentias habet tū ratione*
          - Instrumenti, *quoniam tactu deprehenditur arteria*
            - Calida.
            - Mollis, *ratione humiditatis.*
          - Finis. *Qui duplex est & uel*
            - Æqualis. *Magnus pulsus.*
            - Inæqualis. *Quoniā uel aucta est necessitas*
              - Ventilandi, *fit in Diastole frequens.*
              - Expellendi, *fit in Systole uelox.*
  - Passionibus: *siquidem caliditas & humiditas proportionem debitam habuerint, ualidius quoque resistit causis externis: sin humiditas paulo fuerit maior, cùm nequeat à calore regi, facillimè à putredine & febribus putridis corripitur.*
- Aliis, à
  - Totius *qualitate, florida, calida & humida, præsertim si hepar non obstet sua siccitate, qua plurimum potest, uel sua frigiditate, qua leuiter immutat cordis calorem.*
  - Thorace, nempe à
    - Quantitate, *quia magnus est & latus, propter calorem dilatantem, & materiæ copiam, nisi capitis temperatura aliquid imminuat.*
    - Qualitate *calida & humida ad tactum, & propterea miti atque blanda.*

- Cordis FRIGIDI & HVMIDI *indicia sumuntur partim ab*
  - Ipso *corde, ab interna*
    - Actione *tum*
      - Communi. *Pili thoracis pauci, & glabrum habent pectus.*
      - Propria, *tum*
        - Morali. *Moribus nequaquam audaces, sed timidi & segnes existunt. Ad iram non sunt prompti, neque illan retinent.*
        - Vitali. *nempe*
          - Respiratio, *cõsentiente thorace, parua. Sin alterutrà necessitas decrescat, fit aut rara aut tarda.*
          - Pulsus *ratione*
            - Instrumenti, *mollis est, propter humiditatem.*
            - Finis, *paruus est. Sin alterutra necessitas decrescat, fit aut tardus aut rarus.*
    - Passione: *ratione humiditatis recipientis & frigiditatis minimùm resistentis, promptè læditur à causis similibus, iuuatur à contrarijs moderatis.*
  - Alijs, *nempe à*
    - Toto *corpore, quod sensui frigidum & humidum apparet, nisi hepar sua siccitate resistat: nam caliditate sua nou potest frigiditatem à corde impressam corrigere aut moderari.*
    - Thorace. *Cuius*
      - Quantitas *angusta est, nisi capitis bona temperies eandem latiorem & maiorem faciat.*
      - Qualitas *est frigida, flaccida & humida.*

- Cor FRIGIDVM & SICCVM *signorum fontes habet geminos, nempe*
  - Ipsum *cor. Ab interna illius*
    - Actione *tum*
      - Communi *& naturali. Pectus omnino glabrum. Nam siccitas cum calore hispidissimum, cum frigore glaberrimum facit pectus.*
      - Propria *uel*
        - Morali. *Minimè omniũ ad irascendum prompti: quum autem irati fuerint, merito siccitatis iram aliquandiu retiment, leuem tamen & ignauam.*
        - Vitali. *Itaque*
          - Respiratio *consentiente thorace parua est, ut & pulsus. Sin thorax maior fuerit quàm deceat, causa capitis, adiungetur & raritas, & tarditas, multoq; magis, si alterutra necessitas defecerit.*
          - Pulsus *ratione*
            - Instrumenti *sicci, durus existit.*
            - Finis, *est paruus: sin alterutra necessitas magis deficiat, uel tardus uel rarus insuper efficietur.*
    - Passione: *resistit causis externis ratione siccitatis, non tamen diu, propter debilitatem caloris.*
  - Alia *membra: tum*
    - Totum *corpus, quod luridum, pallidum & squallidum conspicitur. Nam hepar quamuis calidissimum, frigidius est quouis corde etiam frigidissimo. Proinde nequit corrigere cordis frigiditatem, sed siccitatem sua humiditate moderatè potest emendare.*
    - Thorax. *Qui*
      - Quantitate *sua paruus est & angustus, propter frigiditatem & contumacem siccitatem, nisi capitis caliditas & humiditas plurima ipsam spinam & costas maiores fecerit ac dilatauerit.*
      - Qualitate *externa similis est cordi, frigidus & siccus.*

CAPVT XII. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS TEMPERATVRÆ HEpatis insalubris simplicis.

Hepar uiscus princeps est, cùm alterum uitæ principium, paßiuum scilicet, generet, & in totum corpus alimentũ transfundat: in quo anima uegetatiua siue ἐπιθυμητικὴ sedem suam habet. Cuius quidem neceßitas post cor præcipua est, quamuis tempore prior. Signorum autem fontes, ex quibus hepatis temperiem cognoscamus, duo sunt præcipui. Quos clarioris doctrinæ gratia hîc generaliter tractabimus: deinde ad particularia cum Gal. descendemus. Sumuntur ergo uel ab

- **Ipso hepate,** *uidelicet ab aliquo uel*
  - **Interno,** *nempe à potentia*
    - **Patiendi** *à rebus externis, à cibò, aëre, &c. Sic frigidum hepar læditur à cibis frigidis, calidum à calidis. Omisit Gal. breuitatis gratia, cùm iam antè in signis cerebri canones huius potentiæ paßiuæ posuerit.*
    - **Agendi,** *quæ Naturalis dicitur facultas (quemadmodum actio cordis Vitalis dicebatur) κατ' ἐξοχὴν: primum enim naturæ agẽtis fundamentum & opus in animãtibus est ipsa uegetatio. Nam compositũ corpus natura conseruare cupit tum in*
      - **Indiuiduo.** *vide in seq. signum* ⌗
      - **Specie,** *per facultatem Generatricem, cui itidem inseruiunt quatuor potentiæ naturales, non pro generando sanguine, quemadmodum hepati inseruiebant, sed pro semine in uasis spermaticis producendo. Sita autem est hæc facultas in hepate, secundùm Platonem & Gal. & pro temperatura hepatis uariat. Nam calor promptos efficit ad ueneris desideria, frigus uerò tardos. Maximè tamen hunc appetitum promouet temperatura similis instrumentorum genitalium. Itaque non ab re Galenus statim signa testium subnectit.*
  - **Externo,** *ut à magnitudine aut figura hepatis. Quæ tum quia nequeunt actionem hepatis labefactare, nisi temperies illius primùm uitietur: tum quia ad cõpositionem magis quàm ad temperiem indicandam conferunt, in præsentia à Gal. omittuntur, & commodiore loco capite uigesimosecundo tractantur, ubi de uitiata compositione agit.*
- **Alijs,** *ut à*
  - **Toto corpore.** *Cuius qualitas ab hepate, sicut & à corde, alterari potest, quandoquidem utrunque uiscus principia uitæ toto corpori communicat. Quomodo autem in alterando toto hepar cor uincat, aut à corde uincatur, suprà in generalibus signis temperaturarum cordis docuimus.*
  - **Partibus** *tum*
    - **Adnatis** *hepati, à uenis scilicet, quæ suo principio attestantur, sua tum*
      - **Quantitate.** *Magnæ & latæ, calorẽ arguunt dilatantem & sequacem materiam: Paruæ & angustæ, calorem debilem, siue (ut medici loquuntur) frigiditatem.*
      - **Qualitate** *uel*
        - **Prima.** *Calidæ & frigidæ tactu, pro natura sanguinis. Quod tamen non nisi in ualde præternaturali constitutione obseruari potest: quemadmodum & arteriarum qualitas in hecticis tantùm,*
        - **Secunda.** *Duræ à siccitate, Molles ab humiditate,*
    - **Vicinis** *seu continentibus, nempe ab hypochondrijs & epigastrio, quòd uel hirsuta uel glabra sint. Quod tamen signum commodius ad excrementa referri potest.*

Indiuiduo, *per facultatem Nutricem et Auctricem: quibus inseruiunt quatuor illæ potentiæ, Concoctrix, Retentrix, Attractrix, & Expultrix, quæ non per se, sed per suos effectus cognoscuntur. Concoctio in hepate est Sanguificatio: habet autem partem aliam*

- **Vtilem**, *pro nutrimento corporis, sanguinẽ uidelicet: quem hoc in loco Gal. non pro quarto humore sumere uidetur, sed pro massa tota sanguinea, quæ in phlebotomia cõspicitur, in qua tamen quartus humor prædominetur, à quo tota massa attemperatur. Sanguis enim natura sua temperatus est, & à temperato tantùm hepatis calore generatur, nec nisi ratione spirituum uitalium, quos à corde suscipit, calidus dici potest. Sumuntur ergo signa hepatis à sanguinis*
  - **Substantia:** *quia uel est*
    - **Crassus**, *aucto calore, qui partes tenuiores alimenti resoluit, maximè si cibis quoque utatur craßis. Aut etiam crassus efficitur à frigore incrassante, qualis in media hyeme conspici solet, sed ferè admixti quoque sunt humores frigidi.*
    - **Tenuis**, *imminuto calore, præsertim si cibi sint tenuis quoque substantiæ. Sin cibi fuerint craßi, à calore fundente & liquante tenuis redditur sanguis.*
  - **Quantitate:** *quia uel est*
    - **Multus**, *in humidiore hepate.*
    - **Paucus**, *in ficciore hepate.*
  - **Qualitate:** *eaq; uel*
    - **Prima**, *ut quòd calidus sit & feruens, uel frigidus & quietus.*
    - **Orta à primis**: *ut à colore, qui prædominium humorum in massa sanguinea ostendit.*
- **Inutilem** *pro nutrimento corporis, quamuis alios habeat usus. Excrementum dicitur. Quod rursus uel est*
  - **Fuliginosum**, *quod uel insensibiliter per cutim exhalat, uel in pilos concrescit. Vnde hypochondria, maximè dextrum, & uenter quoque inferior, uel hirsuta uel glabra conspiciuntur.*
  - **Corpulentum**, *& à massa sanguinea separatũ. In quo obseruare oportet tum*
    - **Substantiam** *Quia uel est*
      - **Tenue** *excrementum, ut urina. Cuius Gal. non meminit, uel quòd paruifaceret, uel quòd sub craßis excrementis seu humoribus, qui per urinam quoque excernuntur, comprehenderetur.*
      - **Crassum**, *respectu urinæ: ut*
        - **Bilis.**
        - **Pituita**, *quæ in hepate generatur à debili calore, & humida parte chyli: diuersa ab ea, quæ in uentriculo ortum habet.*
        - **Melancholia.**
    - **Viam** *seu locum per quem expurgatur, per*
      - **Superiora**, *per uomitum.*
      - **Inferiora**, *per uesicam, per aluum, per uterum, per hæmorrhoides.*

- Signa generalia particularibus accommodemus. Itaque Hepar CALIDVM ostendent signa desumpta partim ab
  - Ipso hepate, ab aliquo interno, nimirum à potentia
    - Patiendi. Non facilè à cibis flatuosis aggrauatur: à calidis tamen, præcipuè à uino, læditur: sic etiam à balneis, thermalibus præsertim.
    - Agendi, pro conseruando uel
      - Indiuiduo. Sic ergo tum à
        - Sanguinis ipsius
          - Substantia, non sumitur indicia, quia tam crassities quàm tenuitas potest & à calore & à frigore prouenire. Itaq; reliqua signa potius perpendenda erunt.
          - Quantitate. Hæc ab humiditate potius quàm à calore pendet, nisi quatenus calor ualidus etiam plurimum resoluit & exiccat.
          - Qualitate
            - Prima. Calidus, feruens, proinde celeris motus ad superiora.
            - Orta à primis. Sic colore subflauo est, quia diluitur multa bile.
        - Excrementis, tum à
          - Fuliginoso. Venter & hypochondria hirsuta.
          - Corpulento uel
            - Tenui. Vrina pauca, biliosa.
            - Crasso. Flaua bilis abundat: quæ assata in bilem atram degenerat, in consistenti ætate. Excernitur tum per uomitum, tum per secessum, tum per urinam.
      - Specie. Ad uenerem procliues sunt: quia calore excitantur, maximè si uasa quoque generationi destinata eandem habuerint temperiem. Proinde cùm maximè ad testium temperaturã referatur hæc procliuitas & tarditas, à Gal. hoc in loco prætermittitur.
  - Alijs, nempe à
    - Toto corpore. Calidum est tactu, & rubeo colore floret: nisi frigiditas cordis obstet. Resistit autem non parum.
    - Adnatis uenis, quæ latæ conspiciuntur, propter calorem qui distendit materiã sequacem.

- FRIGIDVM hepar signa habet contraria, sumpta itidem uel ab
  - Ipsius hepatis interna potentia
    - Patiendi. Cibi flatuosi pariunt dolores & grauitatem hypochondrioru m, præcipue dextri, à sumpto cibo.
    - Agendi pro conseruatione
      - Speciei. Tardi ad uenerem.
      - Indiuidui, nempe à
        - Sanguinis
          - Substantia. Nihil certi: nam à frigiditate & crassus & tenuis fieri potest.
          - Quantitate incertum est signum: quia pendet à passiuis qualitatibus.
          - Qualitate tum
            - Prima. Frigidus & quietus sanguis.
            - Orta à primis. Color subalbidus, propter mixtionem pituitæ, non illius quæ in uètriculo generatur, sed quæ in hèpate, à diminuto calore & materia chyli frigidiore.
        - Excremento
          - Fuliginoso. Venter & hypochondria glabra.
          - Corpulento tum
            - Tenui. Vrina decolor, alba, niuea, &c. plus minus, pro intensione frigoris.
            - Crasso. Abundat pituita, non tam ut excernatur (nisi per urinã) quàm ut ea nutriãtur mẽbra in defectu sanguinis.
  - Alijs, à
    - Toto corpore, quod frigidum est & decolor, nisi cordis caliditas (quæ uehementissimè resistere solet) impediat.
    - Adnatis uenis, quæ paruæ sunt & angustæ.

- **Hepar** SICCVM *cognoscitur ex*
  - **Ipsius** *hepatis interna potentia*
    - **Patiendi**, *quia à siccis cibis, potibus, pharmacis læditur: sicut econtra ab humidis iuuatur.*
    - **Agendi** *pro conseruatione*
      - **Indiuidui,** *nempe à*
        - **Sanguinis**
          - **Substantia**. *Crassus est.*
          - **Qualitate** *prima. Siccior est.*
          - **Quantitate**. *Paucus.*
        - **Excremētis,** *à*
          - **Fuliginoso.** *Glabra hypochondria, nisi iungatur calor.*
          - **Corpulento,** *tum*
            - **Tenui**. *Vrina pauca, & quæ potui non respondet.*
            - **Crasso**. *Ad bilem & melancholiam magis pronum, si qualitas actiua accesserit.*
      - **Speciei**. *Nulla hinc signa: quia qualitates actiuæ tantùm hîc locum habent, non passiuæ.*
  - **Alijs,** *uidelicet à*
    - **Toto corpore.** *Habitus siccior, quem tamen moderatè cordis humiditas potest emendare.*
    - **Adnatis** *uenis, quæ duriores sunt ad tactum.*

- HVMIDVM *hepar cognosces tum ex*
  - **Hepatis** *interna potentia*
    - **Patiendi** *ab humectantibus, quæ etsi qualitate sua uix noceant, cùm humiditas parum agat, tamen multitudine sua distensionem parere possunt.*
    - **Agendi,** *non pro specie conseruāda, sed pro indiuiduo: tum à*
      - **Sanguinis** *ipsius*
        - **Substantia**. *Tenuis est & dilutus.*
        - **Quantitate**. *Multus.*
        - **Qualitate**. *Humidus & fluidus.*
      - **Excremento**
        - **Fuliginoso**. *Glabra magis hypochondria, quam in sicco hepate.*
        - **Corpulento,** *nempe à*
          - **Tenui**. *Vrina plurima & tenuis.*
          - **Crasso**. *Pituitosa magis quàm biliosa uel melancholica.*
  - **Alijs,** *nempe à*
    - **Toto corpore**. *Habitus humidior, nisi cor siccitate sua obstet. Quod quidem facit promptè satis.*
    - **Adnatis** *uenis, quæ molliores sunt.*

CAPVT XIII. DE COMPOSITIS HEPATIS INTEMPERATVRIS per ſua ſigna dignoſcendis.

CALIDVM & HVMIDVM hepar ſigna ſumit ex fontibus ſimplicium; nempe ab

- Hepatis potentia interna
  - Patiendi *à calef. & humectantibus.* A *dulcibus facile obſtruitur, propter humiditatem multam, & calorem attrahentem ſimul atq; etiam inculcantem. Præterea morbis à putredine ortis ualde obnoxium eſt, maxime ſi humiditas caliditatem ſuperet.*
  - Agendi *tum pro cõſeruatione*
    - Speciei. *Ad uenerem procliues, neque ab illa facile læduntur: conſentientibus unà uaſis ſpermaticis.*
    - Indiuidui: *tum à*
      - Sanguinis *ipſius*
        - Subſtantia. *Tenuis ſanguis, niſi calor excedens humiditatem craſsiorem reddat.*
        - Quantitate. *Plurimus, cùm & materiale & formale principium adſit.*
        - Qualitate
          - Prima. *Calidus ſimul & humidus.*
          - Orta *à primis.* *Colore rubeus: quia calorem humiditas refrænat, ne flaueſcat ſanguis.*
      - Excremento
        - Fuliginoſo. *Hypochondria hiſpida, minus tamen quàm in calido & ſicco hepate.*
        - Corpulento, *nempe à*
          - Tenui. *Vrina copioſa, calida.*
          - Craſſo. *Bilis pauca excernitur, neq; alius humor, niſi calor ſuperet humiditatem magno interuallo.*
- Alijs, *à*
  - Totius *habitu, qui carnoſus eſt & floridus, niſi cor impediat ſua frigiditate (uehementer) & ſua humiditate (moderatè.)*
  - Adnatis *uenis.* *Quæ ampliſsimæ & molles conſpiciuntur.*

Hepar CALIDVM & SICCVM *ſigna habet tum à*

- Seipſo, *ab interna ſua*
  - Paſsione. *Læditur à calidis promptiſsimè, acuit enim calorem ipſa ſiccitas: putredini tamen ualidius reſiſtit.*
  - Actione, *pro conſeruatione*
    - Speciei. *Ad uenerem maximè procliues, tamen non perdurant, ut priores.*
    - Indiuidui, *ſic tum à*
      - Sanguinis
        - Subſtantia. *Craſsiſsimus eſt.*
        - Quantitate. *Paucior: quia ſiccitas caloris reſoluentis uires magis acuit.*
        - Qualitate
          - Prima. *Feruet.*
          - Orta *à primis.* *Colore bilioſus.*
      - Excremento
        - Fuliginoſo. *Hypochondria plurimùm hiſpida.*
        - Corpulento, *tum à*
          - Tenui. *Vrina pauca, & bilioſa, & acris.*
          - Craſſo. *Bilis primùm abundat: deinde etiam in ætate conſiſtentiæ bilis atra.*
- Alijs, *nempe à*
  - Toto corpore. *Quod calidum & ſiccum apparet, niſi cordis frigiditas & humiditas obſtet. Quo in loco Gal. regulas breuiter aſsignat, quomodo cor ab hepate in alteratione totius uincatur, & uiciſsim uincat. Quas nos ſuprà in generalibus ſignis cordis explicauimus.*
  - Adnatis *uenis.* *Latæ ſunt, à calore: duræ, merito ſiccitatis.*

- HVMIDI & FRIGIDI *hepatis indicia sumũtur tum ab*
  - Ipso *hepate, ab interna*
    - Paſsione. *Frequentibus obſtructionibus obnoxium eſt, & à cibis ſimilibus promptiſsimè læditur.*
    - Actione, *pro conſeruatione*
      - Speciei. *Ad uenerem tardi ſunt.*
      - Indiui-dui: *ſic ergo*
        - Sanguinis
          - Subſtantia, *tenuis, niſi quantum frigiditas condenſat, aut certè crudum & incoctum relinquit.*
          - Quantitas, *mediocris, quia frigus impedit.*
          - Qualitas, *frigida, & proinde quieta. Color ſubalbidus, ad pituitæ enim naturam accedit.*
        - Excrementi
          - Fuliginoſi *nihil ferè. Glabra ergo hypochondria.*
          - Corpu-lenti
            - Tenuis. *Vrina multa, alba, &c.*
            - Craſsi, *pituita redundat.*
  - Alijs, *nempe à*
    - Toto. *Conſtitutio totius pituitoſa, alba & flaccida, niſi cordis calor & ſiccitas impediant.*
    - Adnatis *uenis. Anguſtæ ſunt, niſi quantum humiditas ſe extendi à debili calore paſſa fuerit.*

- FRIGIDVM & SICCVM *hepar ſignorum fontes habet tum*
  - Ipſum *iecur, ab interna*
    - Paſsione. *Læditur à frigidis, minus tamen promptè impreſsionem recipit, propter ſiccitatem: tamen quia anguſtiores habet uenas, obſtructionibus promptiſsimè laborat.*
    - Actione *tum*
      - Generatrice. *In uenerem tardiſsimi.*
      - Nutrice & auctrice, *nempe à*
        - Sanguinis
          - Subſtantia. *Craſſus ualde.*
          - Quantitate. *Paucus.*
          - Qualitate. *Frigidus.*
        - Excre-mento
          - Fuliginoſo. *Hypochondria maximè glabra.*
          - Corpulento *tum*
            - Tenui. *Vrina pauca & decolor.*
            - Craſſo. *Pituita pauca & cruda.*
  - Alias *partes, nempe uel*
    - Totum *corpus. Cuius habitus frigidus & ſiccus, & macilentus eſt, niſi cordis caliditas (quæ multum) & humiditas (quæ parum poteſt) reſiſtat.*
    - Adnatæ *uenæ anguſtæ omnino, cùm nec materia adſit quæ dilatetur, nec calor qui dilatet.*

CAPUT XIIII. DE TESTIVM TEMPERATVRA INSALVBRI simplici per sua signa dignoscenda.

TESTES à medicis inter partes principes connumerantur, quoniam totum corpus immutare possunt. Quare nunc rectè Gal. signa testium subiungit, præsertim cùm facultas prolifica in hepate ueluti fonte suam habeat sedem: in testibus autem tanquam instrumentis uim suam exerceat: non aliter quàm uis uisiua à cerebro emanans, in humorem crystallinum tota transfunditur. Antequā uerò particularia signa temperaturarū aggrediamur, prius generalem theoriam signorum diagnosticorum temperaturæ insalubris instituamus. Signa ergo testium sumuntur primò quidem à testibus ipsis: deinde etiam à partibus uicinis, ut ab hypogastrij hispiditate uel glabritie: præterea à qualitate totius immutata ex alteratione testium, quod in eunuchis, & in ijs qui plus satis ueneri indulgent, manifestum esse potest: referuntur tamen omnia signa uel ad

- **Actionem** naturalē uel
  - **Communem** cum alijs partibus, nempe uel ad
    - **Auctricem.** Cuius Gal. non meminit, quia ad compositionem potius quàm ad temperaturam spectat, & temperatura ex alijs signis magis quàm ex compositione cognosci potest. Eandem ob causam auctricis nec in corde nec in hepate meminit. Ad auctricem ergo referri debent testes
      - **Magni.** Vel ob calorem multum, dilatantem: uel ob materiæ quantitatem: uel ob utrunque.
      - **Parui.** Vel ob materiæ defectum: uel ob caloris debilitatem: uel ob utrunque.
    - **Nutricem,** quæ per propria excrementa, hoc est per pilos tum testium, tum partium uicinarum, perinæi scilicet, pectinis, usque ad umbilicum & media fœmora, cognoscitur. Sunt ergo testes uel
      - **Glabri.** Vel ob materiæ defectum: uel ob efficientis ignauiam: uel propter utrunque.
      - **Hirsuti.** Vel ob materiæ copiam & qualitatem: uel ob caloris efficaciam: uel propter utrunque.
  - **Propriam,** nimirum ad generationem seminis. Sumuntur ergo ab ipsius seminis
    - **Substantia,** quia uel est
      - **Crassum.** A calore inprimis incrassante, deinde etiam à siccitate exiccante.
      - **Tenue.** Prima causa est humiditas: secundaria uel calor eliquans, uel frigus, quod concoquere & optimè miscere nequit.
    - **Quantitate,** uel
      - **Multa.** Causa est humiditas. Si calor concurrat, crassum simul erit: sin frigiditas, tenue.
      - **Pauca.** Causa est siccitas inprimis, deinde etiam caliditas.
    - **Qualitate,** eaq; tum
      - **Prima:** quando excernitur uel calidum uel frigidum. Attestatur siquidem naturæ sui principij, in quo excoquitur & perficitur.
      - **Secunda:** quia uel excernitur
        - **Acre,** & uehementer titillat atque mordicat. Acre efficitur à calore, maximè si iungatur siccitas.
        - **Mite** & suaue, uel quia frigidi testes, uel quia semen multo humore diluitur, & acrimoniam amittit.
      - **Tertia:** nimirum tum à
        - **Fœcunditate.** Causa huius est prompta formatio ipsius fœtus, simul ac in uterum contectum est semen. Oportet ergo semen esse calidum, ut citò ab utero educatur siue excitetur uis formatrix: deinde etiam crassum, sequax tamen & obediens formationi, alioqui enim efflueret rursus.
        - **Infœcunditate.** Causa est segnis formatio, propter seminis frigiditatem, & craßitiem minimè sequacem.
- **Passionem.** Vide in seq. signum ⊞

- ⊞ Pasſionem, *quæ eſt uel in*
  - Toto corpore: *quoniam ſeminis excretionem, utpote excrementi ultimi & utilis in coitu homo uel ferre*
    - Poteſt, *ſi multo abundet ſemine: non læditur inde, ſed alacrior eſt, & leuius ſpirat.*
    - Nequit, *ſi paucum habeat ſemen. Sic Hippoc. præſtare ait centũ ſanguinis uncias, quàm unam ſeminis emittere: certum numerum pro incerto ponens.*
  - Teſtibus *tantùm. Eiaculatio ſeminis promptior uel tardior, prout ſenſus quoque titillationis maior eſt uel minor. Patiuntur ſiquidem teſtes uel certè partes genitales à ſemine titillante, præſertim ſi exquiſitũ habeant ſenſum. Ex hac titillatione redduntur ad uenerem uel*
    - Procliues. *Procliuitas iſta differt ab ea, quæ ex hepatis temperie pendet: hæc enim interdũ etiã in ſomnis ſtimulatur, quieſcẽte procliuitate hepatis, quam eunuchi quoq; habent. Oritur autem à titillatione ſeminis. Titillat porrò ſemen uel ſua*
      - Quantitate, *quoniam uaſa diſtendit, & cùm ab illis contineri nequeat, effluit. Multitudinis cauſa eſt materiæ copia, & caloris efficacia.*
      - Qualitate, *quia uel eſt*
        - Acre, *à calore ualido, iuncta ſiccitate. Itaque redduntur ad uenerem procliues, & opus citò expediunt, inſtar paſſerum.*
        - Flatuoſum, *à debili calore. Sic melãcholici uenerei eſſe ſolent.*
    - Tardi, *quia non adeſt titillatio, uel ob ſeminis*
      - Qualitatem *minimè acrem, & non mordicantem. A temperatura frigida primùm, deinde à frigida & humida, ultimò à frigida & ſicca.*
      - Quantitatem *paucam, nec moleſtantem.*

- Iam uerò *cum Gal. particularia ſigna explicemus. Itaque Teſticulorum temperatura* CALIDA *deprehenditur ex*
  - Actione
    - Communi *tum*
      - Auctrice. *Maximi teſtes.*
      - Nutrice. *Hirſuti teſtes, & partes uicinæ hiſpidæ redduntur celerrimè.*
    - Propria. *Sic à ſeminis ipſius*
      - Subſtantia. *Craſſius eſt.*
      - Quantitate. *Mediocre.*
      - Qualitate *tum*
        - Prima. *Calidum.*
        - Secunda. *Acre, & proinde titillans.*
        - Tertia. *Fœcundum, & maſculos procreans.*
  - Paſsione. *Ad uenerem procliues, propter ſeminis caliditatem, quæ accendit, & nerui ſanguinem craſſum in flatus promptè diſſoluit: item propter eiuſdem acrimoniam, quæ titillat partes ſenſibiles.*

Testiculorum *temperatura* FRIGIDA *habet*
- Actionem
  - Communem
    - Auctricem, *quia testes parui & contracti.*
    - Nutricem, *quia glabri.*
  - Propriam, *quia seminis*
    - Substantia, *liquida, tenuis & planè cruda.*
    - Quantitas, *pauca.*
    - Qualitas
      - Prima, *frigida.*
      - Secunda, *absque acrimonia.*
      - Tertia, *infœcunditatem habet, & si liberos creat, creat fœmellas tantùm.*
- Passionem *suam, quòd ad uenerem tarda est & ignaua.*

HVMIDI *testes se produnt per*
- Actionem
  - Communem
    - Auctricem, *quia penduli sunt & molles tactu.*
    - Nutricem, *quia depiles.*
  - Propriam, *quia semen sua*
    - Substantia *est liquidius.*
    - Quantitate, *copiosius.*
    - Quantitate
      - Secunda, *acrimonia carens.*
      - Tertia, *ad fœcunditatem confert, si calori iungatur.*
- Passionem, *quia etsi ad uenerem non promptè excitatur, tamen illam minore cum noxa & diutius ferre possunt.*

SICCA *testium temperatura habet signa sumpta tum ab*
- Actione
  - Communi *tum*
    - Auctrice, *aridi & contracti apparent.*
    - Nutrice, *minus depiles, quàm humidi.*
  - Propria, *quia seminis*
    - Substantia *craßior est.*
    - Quantitas, *paucior.*
    - Qualitas *tum*
      - Secunda, *acrimonia adest, accedente caliditate, maxima.*
      - Tertia, *non fœcunditati, sed procliuitati ucnereæ confert.*
- Passione, *quia ad uenerem non usque adeò procliues, multò minus eandem ferre possunt.*

CAPVT XV. DE COMPOSITIS INTEMperiebus Testiculorum.

Testes CALIDI & SICCI *in*
- Actione
  - Communi
    - Auctrice *sunt mediocres, nam calor quidem dilatat, tamen siccitas non usque adeò obedit.*
    - Nutrice. *Horridi sunt pilis, & partes etiam uicinæ omnes celerrimè pilis uestiuntur.*
  - Propria, *à seminis*
    - Substantia. *Craßißimum est.*
    - Quantitate. *Paucißimum.*
    - Qualitate
      - Prima, *calidißimum.*
      - Secunda, *acerrimum & uehementer titillans.*
      - Tertia, *fœcundißimum, si siccitas sit mediocris, quia minus diffluit.*
- Passione. *Petulci sunt, & ad uenerem celerrimè excitantur, statim tamen satiantur: ut cuniculi & passeres: & si cogantur, ualde offenduntur.*

Testes CALIDI & HVMIDI indicia habent, sumpta tum à

- Actione
  - Communi
    - Auctrice. *Maximi sunt.*
    - Nutrice. *Hispidiores minus quàm calidi & sicci.*
  - Propria. *Seminis*
    - Substantia *crassa mediocriter, est fluida tamen.*
    - Quantitas *plurima.*
    - Qualitas
      - Prima: *calidum satis, quàuis caloris uim humiditas obtundat.*
      - Secunda: *minus acre, & multitudine potius quàm acrimonia sua excitat ad coitum.*
      - Tertia: *fœcundum satis, non tamen fœcundissimum, si humiditas plurima abundet, quia promptè diffluit.*
- Passione. *Minus sunt lasciui prioribus, quia non ità titillatiò insignis adest, sed minori detrimento præter modum uenereis indulgent. Imò si caliditas & humiditas excedat, non sine damno uenere abstinent, quia semen corrumpitur.*

FRIGIDI & HVMIDI *testiculi habent*

- Actionem
  - Communem,
    - Auctricem *inertem: itaque parui sunt & laxi.*
    - Nutricem *ualde infirmam, paucissimosq́; pilos.*
  - Propriam *in seminis*
    - Substantia, *quod aquosum est & tenue.*
    - Quantitate, *paucum.*
    - Qualitate,
      - Prima, *frigidum ualde.*
      - Secunda, *non acre, neque acrimonia sua sed flatu potius ad coitum excitat.*
      - Tertia, *uel plane infœcundum, uel certè fœminas tantùm generat.*
- Passionem, *quod tardè rem ueneream exercere incipiunt, neque proni ad huiusmodi actum sunt.*

Testiculi FRIGIDI & SICCI *signa sua deducunt tum ab*

- Actione,
  - Communi,
    - Auctrice. *Minimi.*
    - Nutrice. *Glaberrimi.*
  - Propria. *Semen sua*
    - Substantia *crassius paulò quàm in frigida & humida temperatura.*
    - Quantitate, *paucum ualde.*
    - Qualitate,
      - Prima, *frigidum.*
      - Secunda, *minimùm acre.*
      - Tertia, *fœcundius est quàm in frigidis & humidis, quia etiam corpulentius, neque ita fluidum.*
- Passione, *quòd tardè rem ueneream exercere incipiunt, & ut minus proni sunt ad illum actum quàm frigidi & humidi, ita maiore cum detrimento indulgent. Melancholici non per se, ratione scilicet seminis, sed propter flatus copiosos ab Arist. uenerei uocantur.*

PARTES *genitales in mulieribus, Vterus præsertim, iisdem signis dignosci possunt, qualem habeant temperaturam, quibus & testes in uiris, paucis admodum uariatis, pro usu & compositione diuersa locorum muliebrium. Gal. breuitatis ergò omittit.*

CAPVT XVI. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS INSALVBRIBVS, indicantibus temperiem & habitum TOTIVS CORPORIS.

POST principum partium tractationem, Gal. de habitu totius corporis agit: quandoquidem temperies totius sequitur ferè naturam partium principum, cordis scilicet & hepatis: in quorum itidem signis sæpe mentio facta est constitutionis totius. Quemadmodum igitur post signa cerebri subiunxit signa oculorum: ita quoq; post principum partium signa, declarat ea, quæ indicant temperaturam totius, à temperie partium principum, maximè secundùm qualitates actiuas, dependentem. Cognitio ergo habitus totius, confert tum ad totius tum ad partium principum temperaturã dijudicandam. Intelligimus porrò Habitum, qualitatem seu naturalem seu acquisitam in partibus externis ipsius corporis, quæ sequitur quatuor simplices & primas qualitates. Vocat autem externas partes Gal. musculos ossa undiq; obtegentes, qui oculis subijciuntur: nam uel omnes uel certè plurimi qualitate ista imbuti sunt. Disiunctiuè loquor: non enim si musculi capitis uerbi gratia sint carnosi, etiam necessariò totus quoque habitus siue reliqui totius corporis musculi tales erunt. Cæterùm quia externi sunt musculi, ideo quoq; non tantùm ab internis, sed etiam ab externis immutantur. Sic sensus testimonio à regione, Æthiopes nigri: à uictus ratione, ij qui in umbratili uita degũt, quamuis natura calidi, præ se tamen ferunt molliciem & candorem. Quod quidem hîc Gal. statim ab initio monet. Tradit autem primùm signa bonæ & salubris constitutionis totius, ut eò facilius deinde insalubrem cognoscamus: postea subiungit signa insalubris habitus: tandem annectit canones quosdam generales. Nos uerò ordine inuerso primùm generalia signa explicabimus: deinde ad particularia descendemus. Fontes igitur signorũ habitus totius corporis ijdem sunt qui & partium, nempe tum

Actiones, qualescunque in quocunque membro externo seu parte carnosa, actu ab illius temperie innata primum, deinde ab influente & fouente profluentes, conspiciuntur. Quare nec à neruis, nec ab arterijs, nec à uenis sumuntur: sunt enim hæc instrumenta tantùm carnosæ substantiæ, per quæ fouentur subinde, & motum, sensum, uitam atque alimentum affluens excipiunt. Siquidem in membris externis calor siue temperies quædam composita ex innata & influente reperitur. Innata enim alterat influentem, & uicißim ab illa alteratur. Ab hac ergo temperatura cõposita membrorum profluunt actiones tum

- Animales, externæ, Sentiendi uidelicet per tactum, & Mouẽdi. Internæ enim in solo cerebro sunt & manent. Porrò quamuis actiones externæ in toto conspiciuntur, tamen quia non ad esse totius, sed ad bene esse tantùm conferunt, & nerui potius temperiem quàm membri indicant, neruus autem sui principij, cerebri uidelicet, constitutionem imitatur, ideo à Galeno in præsentia omittuntur.
- Vitales. Facultas uitalis in uniuersum corpus dispergitur per arterias pulsantes. Tamen ut in arterijs est, nondum signum esse potest: sed tum tandem, quando extra arterias spiritus atque calor in membri substantiam transfusus est. Transfusio autem ista, ex calore & colore membri, cognoscitur: de quibus accidentibus Gal. in naturali facultate agit, quoniam calor uitalis formæ similis est, quæ non nisi cum materia sua, humido uidelicet alimentari, cuius officina est hepar, intelligi commodè potest.
- Naturales. Vide in seq. signum †

Paßiones, quæ in carnosis partibus per se, non per consensum, etiam absq; principum partium affectione, sepißimè conspiciuntur: ex uaria potentia uel impotentia resistendi causis tum externis alterantibus, siue similibus, siue contrarijs: tum internis, putredini uidelicet sanguinis & reliquorum humorum.

† Naturales, quarum præcipua est Concoctrix, quæ alimentũ subministrat, humores scilicet., non primos, sed secundos, hoc est, qui iam cum spiritu naturali in spatia membrorum transfusi sunt. Quod Gal. apertè uult in fine cap. decimi octaui, ubi alimentum proprium partium id esse scribit, quod ex appositione fit, non autem quod adhuc ex uasis attrahitur, multominus quod nondum est attractum. Sunt autem facultates tres naturales:

- **Nutrix**, quæ cognoscitur tum à
  - **Sanguinis** massa. Nam qualis sanguis, tali colore quoque perfundit partes carnosas, quæ eo nutriuntur, nisi humores intra corpus recesserint.
  - **Fuliginoso** excremento, quod uel transpirat per insensibilem exhalationem, & in sordes uertitur: uel sudore excernitur: uel certè in pilos abit.
- **Auctrix**, cognoscitur ex musculorum tum
  - **Substantia dissimilari.** Componuntur enim ex partibus tum
    - **Proprijs**, nimirum tum ex fibris neruosis (quibus ueluti stamini caro intertexitur, iam inde à primordijs generationis. Et hæc quidem est pars solida, in qua fundatur spiritus & calor complantatus.) tum etiam ex carne prima & simplici, cui adiungitur pinguedo. Et à carne quidem corpus dicitur carnosum uel gracile: à pinguedine uerò pingue aut macilentum. Oritur autem pinguedo à frigore & humido habituoso sanguinis. Sicut econtrà caro à calore ualido & sanguine corpulento.
    - **Alienis** & adiunctis, uasis uidelicet triplicibus, per quæ, ueluti per canales, facultas triplicis animæ membris influit. Quare substantiam membri non complent, sed ministrant tantùm. Neruos quidem & arterias Gal. omittit: uenarũ usum explicat, quoniam continent primos humores: quos si uirtus distributiua (quæ sub expultrice continetur) in substantiam membri transfundat, fiunt humores secundi, & proximum alimentum, quod pro uaria concoctricis actione uaria quoq; sortitur nomina. Est inprimis ἀνώνυμος humor Auicennæ, quem (quia à primis solo loco differt, scilicet quia extra uenas iam transfusus est) Gal. non numerat: deinde Ros, quando apponitur: Cambium, quando agglutinatur: ultimò Gluten, quando iam assimilatur & unum fit.
  - **Quantitate**: quæ si multa fuerit, siue carnosa siue pinguis, reddit corpus crassum: sin pauca, tenue. Notandũ tamen, ossium quoque debitam proportionem esse oportere: alioqui ex ossium magnitudine membrum sæpe crassum apparebit & carnosum, quod tamen reuera tenue est & gracile. Oportet præterea humorem secundum ἀνώνυμον in debita quantitate affluere: nam si copiosior affluat, corpus alioqui tenue, crassum apparebit: si parcior, id quod alioqui crassum erit, attenuabitur, humido alimentario tantùm, non autem substantifico absumpto: ut sæpius in morbis tum acutis tum chronicis contingit.
  - **Qualitate.** Qualitas musculorum obseruatur tum
    - **Prima**, siue
      - **Actiua**: ad tactum calidi uel frigidi percipiuntur.
      - **Passiua**: nam humiditas & siccitas poros aperire & constringere potest: unde corpus molle uel durum tactu efficitur, squallidum item & humectum. Qualitates porrò istas sumimus ab humiditate non aduentitia & alimentari, sed propria & solida substantia, quæ nullo modo potest effici humidior, sed id tantùm ex conuenienti uictus ratione præstari potest, ne celerius exiccetur, reparatione & subministratione iugi alimentaris humidi. Quo ipso decipimur plerunque, ut membrum in sui substantia exiccatum (propter caloris uim, qui subinde naturale & innatum humidum depascitur) sensu tamen humidum esse putemus, propter abundantiam & affluxum uberem alimentaris humidi: ut in atrophia uidere licet.
    - **Sequens** primas: mollities & durities: oriuntur enim à passiuis, pro uaria actiuarum proportione & efficacia.
- **Generatrix** ad totius dijudicandam temperiem aliquid conferre potest, quoniam secundùm Hipp. semen ex uniuerso corpore ad testes protruditur, cùm sit utile excrementum ultimi alimenti membrorum. Quo ergo melior constitutio fuerit membrorum, & plus alimenti, eo quoque abundantius semen, proinde minus à coitu læduntur: quo uerò paucius alimentum, & debilior concoctrix totius, eo paucius & infirmius semen: proinde maior quoque totius læsio à seminis excretione proueniet, lassitudo nimirum, exiccatio, tabes, &c. Quæ tamen signa Gal. omisit, tum quòd seminis generatio testium propria sit, quamuis alimentum ipsum à toto suppeditetur: tum quòd testium, utpote partium principum, alterationem sequatur totius læsio non per se, sed per consensum, & idcirco non ad passionem totius, sed ad passionem testium propriè referri debeat.

Iam ad *particularia signa, indicantia constitutionem & temperiem totius corporis, uenio. Quot autem modis partium tam principum quàm non principum temperatura uariat, totidem quoque modis habitus totius: quādoquidem ex partium omnium aggregatione totum constat. Temperaturam porrò totius insalubrē ut Galenus per sua signa diagnostica inuestigare doceret, methodus propositæ tractationis requirebat: uerùm tum quia contrariorum eadem est ratio, tum quia uarietas & ordinis inuersio multum cōfert ad* [illegible] *simul & ad elegantiam, ideo Gal. inprimis bonam & salubrem constitutionem, siue bonum habitum totius cognoscere docet: ex quo deinde facili negotio insalubrem quoque ducere possumus. Eadem ratione in præcedentibus sæpe (præcipuè uerò in temperatura cerebri) bonæ constitutionis partiū meminit, non ex professo, sed ut cōtraria iuxta se posita magis illucescerent. Nam de signis diagnosticis insalubrib. tantùm se agere uelle, iamdudum, statim ab initio tractationis signorum, professus erat. Corpus ergo* TEMPERATVM, *salubre, & optimè constitutum (quòd, ueluti statua Polycleti, omnes alios corporum habitus examinat & dijudicat, quoniam exquisitè inter omnes excessus medium occupat; & rationi potius quàm sensui ipsius medici obijcitur, neque actu datur) temperatæ quoque, hoc est, moderatæ secundùm omnes qualitates temperaturæ indicia habet in toto animalis habitu. Signa autem totius eosdem habēt fontes, quos etiam signa partium habebant: in genere conueniunt, differunt in speciē. Sumuntur enim uel ab*

- Actionibus. *Quæ uariæ sunt in toto corpore: tamen quia naturales sunt omniū cōmunissimæ, idcirco à naturalibus potius, quàm ab animalib⁹ aut uitalibus, signa constitutionis bonæ totius corporis depromūtur. Ducūtur ergo signa à naturali facultate, quæ prospicit tum*
  - Indiuiduo: *scilicet à*
    - Nutrice. *Sic ergo*
      - Sanguis *optimus, ruberrimus, non admodum fibrosus, qui tenuitate sua ad superficiem corporis penetrat, & colorem optimum producit, Roseum uidelicet, id est, ex rubore sanguinis & albedine cutis commixtum. Conspicitur in facie potissimùm, propter tenuitatem cutis, atque etiam quia sanguis calidior ad superna promptius ascendere solet. Hinc animi speculum faciem esse aiunt.*
      - Excremēta, *tum sordes, tum sudores, tum pili, sunt mediocria, ut nec hirsutū nec glabrum dici possit. Sunt tamen pili colore flaui, ex miscella æquali humorū, bilis uideli cet & pituitæ: & quia calor humidita tem superat modo debito, fuligo ipsa si ccior redditur, & pili mediocriter crispi euadunt.*
    - Auctrice. *Ex musculorum*
      - Substantia. *Medium est corpus hoc inter carnosum & gracile, inter pingue & macilentum. Dicitur* εὔσαρκον.
      - Quantitate. *Medium est inter corpus crassum & tenue.*
      - Qualitate *tum*
        - Prima, *uel*
          - Actiua. *Tactui calor blandus & mitis se offert.* εὔκρατον *corpus dici posset, quamuis hoc nomen propriè ad internam temperiem referatur.*
          - Passiua. *Nec nimis propter siccitatem addensatum, nec ab humiditate nimia rarefactum.*
        - Secunda. *Inter durum & molle corpus medium est.*
  - Speciei. *A Generatrice nulla possunt signa sumi: quoniam generatrix facultas per totum corpus non dispergitur, sed ab hepate ueluti fonte in testes profluit, & per testes ueluti instrumenta munus suum obit. Verum quidem illud est, quòd semen, tanquam excrementnm ultimi alimenti totius corporis, ad testes protruditur, non tamen tanquam semen, sed tanquam sanguis superfluus.*
- Passionibus. *Quomodo resistat caussis omnibus tum internis tum externis alterantibus, iamdudum cap.* VI. *à nobis dictum est, in partium singularū signis explicandis. Quod ipsum eadem ratione huc ad totius habitum transferri potest. Nam quæcunque alteratio corpori accidit, illa uel exterius, uel interius. Exteriùs quidem, si leuis fuerit, leuiter tantùm alterabit, non planè immutabit: sin magna, totum quidem immutabit, in consensum simul adductis partibus, à quibus deinde, ueluti à fonte, subinde alteratio hæc impressa fouebitur. Interiùs uerò siqua contingat alteratio, illa totum immutare nequit, nisi priùs partes principes, cor uidelicet atque hepar, infecerit.*

CAPUT XVII. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS INSALUBRIBUS intemperiei simplicis TOTIUS HABITUS,

- **Habitus** *insalubris, qui à moderato deficit per excessum qualitatis simplicis* CALIDAE, *signa habet tum in*
  - **Actione** *naturali*
    - **Nutrice.**
      - **Sanguis** *calidior, cutem quoque colore simili tingit, & quia cutis albedinem superat, rubore eandem inficit.*
      - **Excrementa** *quæ in pilos abeunt sunt mediocria, & quo calidior habitus, eo etiam hirsutior: colore tamen nigro sunt pili.*
    - **Auctrice** *Carnosi ergo generis*
      - **Substantia** *nihil peculiare habet, nisi passiuæ etiam qualitates concurrant. Magis tamen carne quàm pinguedine abundat, quia carnem calor, pinguedinem frigus efficit.*
      - **Quantitas** *satis insignis, propter uim caloris qui dilatat.*
      - **Qualitas**
        - **Prima**, *tactu calida apparet.*
        - **Secunda**, *pendet à passiuis, nisi quantum calor quoq; continua resolutione exiccat, & duriorem cutim efficit.*
  - **Passione**, *quia à refrigerantibus parum læduntur, à calidis promptius, præsertim si ualde calidi fuerint.*

- **Habitus** FRIGIDUS *signa habet contraria, sumpta tum ab*
  - **Actione** *naturali*
    - **Nutrice.**
      - **Sanguis** *frigidus, qui idcirco cutim tingit colore ruffo, aut si ualde etiam intendatur albo & liuido.*
      - **Excrementa** *fuliginosa, quæ per cutim excernuntur, pauca: & sudores quidem rarissimi, pili uerò pauci, iiq; ruffi, non quòd bilis pituitam uincat, sed quia in humiditate non est excessus, sed defectus tantùm caloris, qui nequit ad flauum usque colorem pertingere.*
    - **Auctrice.** *A musculorum*
      - **Substantia.** *Pingue potius quàm carnosum est corpus.*
      - **Quantitate.** *Parui sunt, quia frigus constringit.*
      - **Qualitate**
        - **Prima.** *Frigidum tactui occurrit.*
        - **Secunda.** *Frigus exprimendo cutim efficit siccam & squallidam, quia condensat, constipat, duriorem que facit.*
  - **Passione.** *A frigidis promptissimè læduntur, à calidis iuuantur.*

- **Habitus** SICCUS *in*
  - **Actione** *naturali*
    - **Nutrice**
      - **Sanguinem** *habet paucum, neque aliquo colore cutim tingit, quia hoc ad actiuas qualitates pertinet.*
      - **Excrementa** *habet pauca, pilos tamen duriores.*
    - **Auctrice,** *musculorum*
      - **Substantiam** *habet magis gracilem quàm macilentam, quia siccitas in carne maior quàm in pinguedine reperitur: in carne enim plus aquei humidi, in pinguedine plus aërei humidi continetur.*
      - **Quantitatem** *paucam habet. Itaque habitus est tenuis.*
      - **Qualitatem** *habet*
        - **Primam**: *squallidus apparet, nisi aduentitio alimento perfundatur.*
        - **Secundam**: *duritiem & pororum constrictionem ostendit.*
  - **Passione.** *Ab exiccantibus facillimè cutis constringitur, & ab adstringentibus: unde febres ephemeræ & putridæ oriuntur.*

HVMIDA *temperatura totius indicatur per*

- **Actionem**
  - **Nutricem**, *quia*
    - **Sanguis** *multus: & proinde multitudine sua, quamuis qualitas actiua non iungeretur, cutim tingere potest colore subrubeo.*
    - **Excrementa** *copiosa per sordes, exhalationem, & sudorem excernuntur: per pilos non item, quia nimis humida & fluxa est materia.*
  - **Auctricem.** *Quia musculorum*
    - **Substantia** *ad carnem simul & ad pinguedinem tendit, pro excessu uel defectu primarum qualitatum actiuarum: carnosior tamen quàm in habitu sicco.*
    - **Quantitas** *multa, unde crassum fit corpus.*
    - **Qualitas**
      - **Prima** *est humiditas, nisi defectus alimentaris humidi fallat.*
      - **Secunda** *est mollities, propter abundantiam humidi.*
- **Passionem**. *Quia corpus humidum meatus quoque patentes habet (nisi madore alieno impleantur & obstruantur) quapropter facile quoque transitum causis externis alterantibus præbet, ut ab illis lædi uel conseruari possit.*

CAPVT XVIII. SIGNA DIAGNOSTICA INSALVBRIS TEMPERATURÆ COMPOSITÆ TOTIVS. Quarum unaquæuis, ratione maioris & minoris, multas adhuc species comprehendit.

CALIDVS & SICCVS *habitus signa habet*

- **Actionem** *naturalem*
  - **Nutricem**. *Quia*
    - **Sanguis** *crassus est, non tamen ualde abundans: idcirco color quoque subniger in toto conspicitur, & si calor plurimum excedat, etiam planè niger.*
    - **Excrementa** *per sudorem pauca, in pilos tota abeunt, multos, crassos, crispos, nigerrimos.*
  - **Auctricem**. *Quia musculorum*
    - **Substantia** *non est pinguis, sed carnosa: quamuis potius gracilis quàm carnosa dici debeat.*
    - **Quantitas** *ea est, ut tenue corpus existat.*
    - **Qualitas**
      - **Prima**. *Calor acris & mordicans tactu persentitur.*
      - **Secunda**, *durum ualde corpus habet.*
- **Passionem**, *quòd à calefacientibus promptissimè læditur, & morbos consimiles patitur.*

- **Habitus calidi & humidi** ijdem sunt fon:es signorum: nempe
  - **Actio** naturalis uel
    - **Nutrix.** Sic
      - **Sanguis** plurimus: & humiditate quidem caloris uires obtundente, eo lor oritur ex albo & rubro commixtus: sin calor ualde superet, sit fuscus.
      - **Excrementa** plurima, sudores copiosi, & sordes. Pili quoque abundant plani, flexiles, colore subflauo, declinante magis ad nigrum: sin calor ualde excedat, etiam nigri fiunt.
    - **Auctrix,** in musculorum,
      - **Substantia,** carnosum ualde corpus efficit.
      - **Quantitate,** crassum.
      - **Qualitate**
        - **Prima,** calore multo sed miti & blando præditum.
        - **Secunda,** molle reuera, propter optimam humidi commixtionem cum terreno sicco, ab efficiente calore ualido.
  - **Passio,** quòd morbis, qui à putredine oriuntur, promptissimè capiatur: maximè si humiditas calorem superet.

- **Frigida & humida** totius constitutio deprehenditur tum ex
  - **Actione** naturali
    - **Nutrice.** Sic
      - **Sanguis** mediocris, tenuis tamen & fluidus. Itaque colore albo corpus inficit: & si utraque qualitas uehementius augeatur, etiam liuido: sin humiditas magis intendatur, colorem ruffum parit, quia abundat pituita.
      - **Excrementa** fuliginosa pauca, & pilis ferè nuda conspicitur, quorum color est ruffus, declinans ad albedinem.
    - **Auctrice.** In musculorum
      - **Substãtia,** pingue est magis corpus, quàm carnosum.
      - **Quantitate,** crassum.
      - **Qualitate**
        - **Prima,** frigidum tangenti apparet.
        - **Secunda,** molle, seu flaccidum potius.
  - **Pasione,** quia à similibus læditur, à dissimilibus conseruatur.

- **Habitus frigidus atque siccus** cognoscitur tum ex
  - **Actione** naturali
    - **Nutrice.**
      - **Sanguis** paucissimus: proinde decolores efficit natura. Sin ascititius sit habitus ex temperatura calida & sicca, reddit nigros.
      - **Excrementa,** pili uidelicet, nulla planè conspiciuntur, unde glabrum corpus. Nisi frigidus hic & siccus habitus in tempore decrementi ex calida & sicca temperatura contractus fuerit: tunc enim hirsuti fiunt, propter abundantiam atræ bilis.
    - **Auctrice.** Musculorum
      - **Substantia.** Etsi graciles sunt, tamen pinguedo aliqua per carnes est dispersa.
      - **Quantitas.** Tenue est corpus.
      - **Qualitas.**
        - **Prima.** Frigidum tactu.
        - **Secunda.** Natura durum.
  - **Pasione.** Contrarijs iuuantur: similibus læduntur.

CAPVT XIX. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS TEMPERATVRÆ simplicis VENTRICVLI insalubris.

Partium *principum temperaturas per sua signa declarauit: habitum quoque totius, qui principum naturam ferè sequitur. Trāsgreditur nunc ad partes nō principes, quæ à principibus non oriuntur (nam aliæ sunt quæ à principibus oriuntur, ut uenæ, nerui, arteriæ, quæ attestantur naturam suorum principiorum) usum tamen principibus præstant necessarium ad conseruationem indiuidui. Sic primùm occurrit* VENTRICVLVS, *qui hepati famulatur, dum ex cibo crudo liquidum chylum conficit, ut eo facilius ab hepate in sanguinem cōuerti queat. Ventriculi igitur signa, tanquam partis maximè necessariæ, quæ primam concoctionem obit, sine qua reliquæ concoctiones nihil præstare possunt, generaliter primùm tractemus, deinde ad particularia cum Galeno transgrediamur. Sumuntur itaque signa temperaturæ uentriculi tum ab*

- Actione *naturali, nempe à Concoctrice & Appetitrice. Concoquit enim cibum, ut chylo nutriatur, non tantùm ut eo oblectetur. Itaque ut in cæteris membris deficiente alimento naturalis anima appetit: ita quoq; in uētriculo, quoniam calor illius nutrimentū commodum omne absumpsit, nouum appetit, quod foris tantùm illi subministrari potest. Est ergo naturalis actio in uentriculo gemina (utraque tamen à qualitatibus actiuis primò & per se dependet, paßiuæ coadiuuant) nempe*
  - Appetitio, *quæ ex insita quadam cupiditate insensibili oritur, non à corrugatione aut contractione oris uentriculi: quemadmodum etiam reliqua membra dicuntur appetere & attrahere. Differt ergo à Fame, & sine illa esse interdum potest. Hic est ille appetitus, qui simile suum appetit, & si corrumpatur, multa absurda homines appetere cogit. Appetit igitur uentriculus secundùm naturam affectus suum simile in cibo & potu externo, quo substantia sua refici poßit. Et quamuis plus appetat quàm refectioni suæ substantiæ cōueniat, tamen natura sic instituit, ut quod auarus paterfamilias solet, non sibi tantùm, sed toti quoque familiæ, hoc est omnibus membris consuleret. Atque ut lupus oues omnes iugulat, sanguinem ebibit, corpus reliquis bestijs deuorandum relinquit: ita uentriculus chyli parte purißima reficitur cum uoluptate: quod reliquū est, ueluti excrementum utile, uenis mesaræi exhauriendum transmittit. Porrò in hac appetitione consideranda est duplex qualitas, quam sequitur: tum*
    - Manifesta, *à primis orta, ab actiuis præsertim. Sic ergo in appetitione ratio est habenda tum*
      - Temporis, *quia citius uel tardius appetit, prout calor quoque uehementior uel remißior fuerit.*
      - Qualitatis *eius quod appetitur: nam simile quoduis suum simile appetit naturaliter, quo conseruetur: atque etiam suum contrarium moderatum, quo corroboretur. At quod præter naturam se habet, à contrario iuuatur & illud appetit, simile fugit, à quo magis exacerbatur.*
    - Occulta, *quæ quidem medici rationem effugit, quamuis sensui effectus ipse pateat. Sic alij carnibus, alij pane abstinent.*
  - Concoctio, *quæ non tantùm ex qualitate manifesta uentriculi, à caliditate scilicet & humiditate moderata, sed etiā ab occulta quadam proprietate totius substātiæ prouenit. Verùm quemadmodum humores in hepate geniti duplices erant, primi & secūdi: ita quoque chylus in hac concoctione uentriculi duplex est: uidelicet*
    - Primus, *quando adhuc intra capacitatem uentriculi totus continetur. Quo calor uegetior, cui proportione correspondet humidum, eo quoq; celerior & melior concoctio, adiuuante facultate attractrice, retentrice & expultrice. Quibus labefactatis, uaria symptomata eueniunt, uomitus, lienteria, nausea, singultus, &c. quæ morbum potius indicant, quàm insalubritatem simpliciter, quæ intra sanitatis latitudinem continetur, de qua nos nunc agimus.*
    - Secundus. *Cuius quidē portio*
      - Minor *in substantiam uentriculi recepta, primùm apponitur, deinde agglutinatur, tādem aßimilatur: pro robore animæ uegetantis, & caloris efficacia uelut instrumenti, citius, tardius.*
      - Maior *ad intestina per pylorum transmissa, tenuiore sui parte à mesaraicis exugitur, craßiore uerò in alui excrementa abit: quæ interdū uentriculi affectionem indicant, quoniā intestina uentriculo adhærēt, & idcirco uentriculi temperaturā ut plurimum imitātur, tam natiuam, quàm aduentitiam.*
- Paßione. *Vide in seq. signum* *

*** Passio** *uentriculi duplex est, alia*

- **Interna**, *quoniam ab interno principio prouenit, uidelicet ab anima uegetatiua, quæ insitam habet* ὄρεξιν *indiuidui conseruandi per humidum & calidum naturale, quo etiam plantæ participant. Quod cùm suo simili extrinsecus accedente conseruetur, natura uniuerso corpori appetitum alimēti deficiētis indidit, qui fames propriè & generatim dicitur: est enim appetitus substātiæ similis potentia, etsi non actu, extrinsecus aduenientis. In qua quidem substantia considerantur accidentia communia, uidelicet*
  - **Quantitas**, *ut reficiatur primùm id quod absumptum est, deinde etiam ut quantum pro augmento corporis satis sit addatur. Itaque cùm corpus uniuersum ex sanguine nutriri deberet, sanguis ex chylo oriatur, chylus ex cibo: natura non tantùm appetentiam ueutriculo indidit, ut pro seipso alimentum appeteret, sed etiam famem, ut pro reliquo quoque corpore appeteret. Est enim* FAMES *speciatim sumpta, appetitus alimenti solidi membrorum deficientis. Oritur autem ex suctione. Nam famem naturalem præcedunt quinque motus. Membra eximanita à uenis sugunt, uenæ ab hepate, hepar à mesaræo, mesaræum à uentriculo: uentriculus ore suo ualde sensibili suctionem hanc sentiens, corrugatur. Quò ergo frigidior fuerit uentriculus, eò stomachus strictius & facilius constringetur: quò calidior, eò magis hiabit & exoluetur. Præterea quò maior erit suctio, eò maior fames: quò debilior, eò remißior. Suctio autem sequitur quantitatem alimenti quo membra egent. Atque ut fames ista, quæ ex totius inanitione oritur, fames propriè dicitur: ita quoque illa, qua uentriculus propter inanitionem à uicinis partibus attrahit uel pituitam, uel succum melancholichum à liene, qui ad stomachum ascendens, per uas proprium, ut uerißimè uoluit Gal. illum corrugat, & famem naturalem efficit. De fame præternaturali aliàs.*
  - **Qualitas**. *Vt enim quantitatis appetitus famem excitat: ita appetitus qualitatis,* SITIM. *Nam simile suo simili nutritur. Membra porrò naturaliter se habentia calida sunt, & (respectu humorum) propter soliditatem sicca quoque dici possunt. Nutriuntur ergo calido & sicco, quorum appetitus fames est, ex Arist. definitione. Quòd si nunc igitur hæc qualitas uel in cibo uel in membris intendatur, præsertim in uentriculo, oritur sitis, id est appetitus qualitatis uel frigidæ, si calor nimis excreuerit: uel humidæ, si siccitas nimium sit aucta. Proinde sitis uel nulla, uel immodica, non necessariò aut siccitatem aut caliditatem indicat, sed alterutram tantùm: sin fuerit uehemētißima, utrãq;. Et uentriculi magis qualitatem immutatã, aut certè partium uicinarum, pulmonis, hepatis, & cordis indicat sitis, quàm totius: sicut econtrà fames magis affectionem totius, quàm uentriculi, nisi per consensum, propter suctionem aßiduam. Cognoscitur autem ex alijs signis unà iunctis, utrum à uentriculo sit, an per consensum uel à toto, uel à parte aliqua uicina. Quod quidem in parte therapeutica diligentius perpendi debet. Gal. breuiter infrà cap. 20. loco corollarij distinguere docet. Sitis ergo in uentriculo est uel*
    - **Per se**, *à uentriculi qualitate immutata uel per se, uel ex cibis assumptis. Potu frigido & humido iuuantur, aëre frigido inspirato nihil iuuantur: in hypochondrijs æstum persentiunt.*
    - **Per consensum**, *uel à*
      - **Toto corpore**, *quia siccius & calidius est, uel natura sua, uel ex morbo.*
      - **Parte** *uicina, ut à*
        - Iecore.
        - Mesaræo.
        - Ieiuno.
        - Corde.
        - Pulmone.

        À cuius partis natura affectus dependeat, ex signis particularibus cognoscemus. Vt si à corde uel pulmone oriatur, nil iuuantur potu, imò magis exacerbãtur frigido quàm calido: iuuantur inspiratione frigida, æstum in thorace sentiunt.
- **Externa**, *à cibo, potu, aëre inspirato, pharmacis, &c. À similibus & à contrarijs immoderatis læditur: à moderatis conseruatur & corroboratur.*

- Iam uerò *ut ad particularia signa deueniamus, primum* SICCI *uentriculi indicia hæc sunt: nempe*
  - Actio *naturalis, tum*
    - Appetendi. *Sic ergo*
      - Citiùs *appetunt, quàm humido uentriculo præditi, quia humidum alimentare promptiùs consumitur.*
      - Sicca *appetunt, tanquam familiare & proprium nutrimentum.*
    - Concoquendi. *Sic ergo*
      - Cibus *deteriùs concoquitur, quia concoctio bona eget calido & humido temperato: etsi fortasse citiùs. Nam ea quæ assantur, citiùs concoquuntur, quàm quæ elixantur.*
      - Paucissimo *chylo reficitur, quia plurimum, tanquam contrarium sibi atque humidum, respuit.*
      - Excrementa *quoque alui sunt pauciora & sicciora, propter qualitatem à uentriculo adscitam.*
  - Passio *tum*
    - Interna.
      - Fames *prompta, quia uentriculi os siccum facilius contrahitur quàm humidum.*
      - Sitis *uelox, propter exiccationem. Quæ tamen pauco potu restingui potest: nam copiosiorem ueluti contrarium respuit. Ab aëre frigido non iuuantur, imò potius læduntur, quia magis exiccat.*
    - Externa. *À siccis læduntur: item à cõtrarijs humidis, utpote à multo potu: nam cùm uentriculus potum ueluti cõtrarium respuat, illum rectè amplecti nequit: proinde fluctuationibus infestantur.*

- HUMIDUS *uentriculus signa habet sumpta tum ab*
  - Actione *naturali, scilicet ab*
    - Appetitione
      - Tardiori, *cùm humidum non facile resoluatur.*
      - Similium *ciborum humidorum.*
    - Concoctione, *tum quia*
      - Cibus *promptiùs concoquitur quàm in sicco uentriculo, siccus præsertim: nisi humiditas planè obruerit calorem natiuum.*
      - Chylo *eget multo, eoq; ueluti simili delectatur.*
      - Excrementa *alui habet humidiora.*
  - Passione
    - Interna: *quia*
      - Fames *remissior: nam suctionem ferre potest, neque tam facilè os ipsum corrugatur, propter humiditatem dilatantem.*
      - Sitis *tarda, aut nulla: cùm nec calor excedat, nec siccitas.*
    - Externa. *À siccis etsi non læduntur, humida tamen ueluti naturæ suæ magis familiaria libentius tolerant. Sputa habent copiosa.*

- CALIDI *uentriculi indicia sumuntur ab*
  - Actione *naturali, nempe ab*
    - Appetitione
      - Minori, *quia melius concoquit quàm appetat. Nam calor laxat uentriculi substantiam. Celerius tamen appetit, quia etiam celerius alimentum deficit.*
      - Similium *calidorum.*
    - Concoctione, *tum quia*
      - Cibum *promptè conficit, maximè durum & difficulter alterabilem: nam mollem sua ui non proportionata corrumpit.*
      - Chylo *eget multo, quia plurimum resoluit & absumit.*
      - Excrementa *sunt ualde dura & compacta.*
  - Passione
    - Interna: *tum à*
      - Fame *exigua: quia etsi suctio fit, tamen ea non persentitur multum, nam os uentriculi à calore dilatatum coarctari tantopere nequit.*
      - Siti *uehementiore: calor enim si augeatur, etiam exiccat, unde duplex causa sitis oritur. Neque leuatur aëre frigido, sed potu frigido: quamuis aër frigidus magis refocillet calidum uentriculum, quàm siccum.*
    - Externa. *À frigidis nullam percipit noxam, si moderatè illis utatur, ut neque à calidis.*

Ventriculus FRIGIDVS signa habet in

- Actione naturali, nempe in
  - Appetentia
    - Magna, uehementi, prompta & ueloci: quia propter contractionem uentriculi uirtus appetitrix ualidior est: deinde etiam quia propter concoctricis debilitatem paucus chylus apponitur, reliquum abit in pituitã, ut deinde statim cibum repetat. Plurimum igitur appetit.
    - Similium, frigidorum.
  - Concoctione. Nam
    - Cibum infeliciter & tardè concoquit, præsertim frigidum, deinde etiam durum, quem nequit superare. Oritur ergo cruditas, & acidi ructus.
    - Chylum paucum attrahit, unde etiam promptius esurit: neque attractum, omnino concoquit, sed respuit.
    - Excrementa alui cruda & liquidiora efficit.
- Passione tum
  - Interna.
    - Fames uelox, & intensa: sentit enim uehementem contractionem, etiam ex mediocri suctione.
    - Sitis nulla, nisi fortè ratione siccitatis aliquando oboriatur.
  - Externa. A frigidis cibis & potibus læditur, quia facile in ipso acescunt, & acidas eructationes pariunt, inflationes quoque. Sic etiam ab aëre frigidiore. Nam quamuis Gal. cap seq. dicat, illos qui ex uentriculo sitiunt non iuuari inspiratione frigidi aëris, non tamen sequitur, aërem omnino nullam habere uim in alterando uentriculo, etiamsi non tantam, quæ effectum istum, sitim uidelicet, posßit remouere: quod tamen potus facit. Sicut uicißim potus frigidißimus lenit aliquo pacto calorem pulmonis, quamuis omnino auferre nequeat.

CAPVT XX. DE COMPOSITIS VENTRICVLI INTEMperiebus dignoscendis.

Compositæ intemperies ex simpliciũ coniugatione colligi possunt. Proinde Gal. particulatim signa compositarum non recenset, sed id tantum monet, uice corollarij, ne cuiusuis sitis causam statim referamus in uentriculi temperiem, cùm etiam uicina uiscera posßint illam efficere. Nos breuiter signa cõpositarum afferemus. CALIDVS itaque & SICCVS uentriculus habet

- Actionem naturalem
  - Appetendi
    - Debilem, quamuis celerem.
    - Similia, calida uidelicet & sicca.
  - Concoquendi
    - Cibi duri & qui calori resistat, ualidam: nam cibos molles & faciles concoctu corrumpit & in nidorem uertit: humidos uerò non potest absque fluctuatione concoquere.
    - Chyli appositi ualidam & celerem.
    - Excrementa insignem, ita ut etiam adurantur.
- Passionem
  - Internam,
    - Famem mediocrem: quamuis enim calor laxet, tamen siccitas corrugationi oportunum reddit os uentriculi.
    - Sitim uehementißimam, cùm utraque causa concurrat, necesßitas scilicet refrigerandi & humectandi.
  - Externam. Læditur à facilibus concoctu, cùm nulla sit inter agens & patiens proportio.

CALIDI & HVMIDI *uentriculi*

- Actio *naturalis*
  - Appetendi
    - Valida *est, quia calor ualidus consumit, & humiditas suum simile appetit.*
    - Humida *& calida, uiget.*
  - Concoquendi
    - Cibum *est optima, & in genere optimè quosuis cibos coquens, quamuis in specie alia temperatura alios cibos melius concoquat.*
    - Chylum *appositum est felicissima.*
    - Excrementa *uiget, ut nec cruda nec nimis cocta appareant.*
- Passio *tum*
  - Interna.
    - Fames *non magna, tum quia humido abundat, tum quia calido, quorũ utrunque contractioni resistit.*
    - Sitis *parua, quia calorem frangit humiditas.*
  - Externa. *Facile læduntur à similibus immoderatè sumptis, quia promptius putrescunt.*

Ventriculi **FRIGIDI & HVMIDI** *signa sumuntur tum ab*

- Actione *naturali*
  - Appetendi
    - Remissa *admodum, quia frigus iners est, & accedit insuper humiditas obliniens & appetitum hebetans.*
    - Similia, *humidos & frigidos cibos.*
  - Concoquendi
    - Cibum *difficulter, præsertim durum. Humidum facilius, sed tamen fluctuatio adest.*
    - Chylum *appositum tardius.*
    - Excrementa *debiliter: cruda enim conspiciuntur.*
- Passione
  - Interna.
    - Fames *remissior: nam frigiditas contrahit, sed humiditas uicissim relaxat.*
    - Sitis *nulla planè.*
  - Externa. *A frigidis uehementer læditur. Oriuntur enim cruditates, flatus, nausea, sputum copiosum.*

FRIGIDVS & SICCVS *uentriculus habet*

- Actionem
  - Appetendi *promptiorem quàm superior, quia humiditas paucior. Appetit autem similia.*
  - Concoquendi
    - Cibum *in genere debillimam, qualiscunque fuerit, & tardissimam.*
    - Chylum *infirmam ualdè, nisi siccus fuerit cibus.*
    - Excrementa *imbecillam: cruda enim, hoc est inæqualia, sunt, quamuis fortasse sicciora.*
- Passionem
  - Internam.
    - Fames *promptissima, propter insignem oris uentriculi ex ualida suctione corrugationem.*
    - Sitis *nulla, nisi siccitas promoueat intensa.*
  - Externam. *Læduntur à frigidis omnibus longè uehementius, quàm frigidus & humidus, quoniam utroque uitæ fomite destituuntur.*

CAPVT XXI. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS INSALVbribus intemperati PVLMONIS.

INTER partes non principes, quæ à principibus non oriuntur, usum tamen necessariū parti alicui principi afferunt, connumeratur etiam PVLMO. *Famulatur enim cordi, quādo instar follis dilatatus & cōpressus, beneficio musculorū thoracis, aërē ultro citroq; reddens & recipiens, cor euentat, fuliginesq; expellit. Certè operæprecium est pulmonis temperaturam cognoscere, non tantùm ut lapsum ab optima temperie deprehēdamus, sed etiam ut in cordis temperatura per respirationem inuestigāda minus erremus. Nam respirationem non tātùm calor cordis immutat, sed etiam pulmonis tanquam præcipui instrumēti temperies aliquatenus uariare cogit. Sumuntur ergo signa pulmonis generalia (quāuis Gal. tractationem uniuersalem non præmittat) tum ab*

- Actionibus *uel*
  - Proprijs, *nempe à Dilatatione & Constrictione. Propriam enim hanc uoco actionem, quamuis pulmoni primò & per se non conueniat, sed per aliud, scilicet propter musculos thoracis, quorum alij dilatant, alij contrahunt (sicut etiam folles suapte natura non mouentur, sed tantùm à mouente aliquo externo) quoniam natura in hunc finem pulmones effecit, ut idem officij præstarent cordi, quod folles igni. Sumuntur ergo signa à respiratione: quæ ad cor tanquam ad efficiens potißimum refertur, ad pulmonē tanquam ad instrumentum: præsertim cùm respiratio mutari nequeat à pulmonis temperie, priusquàm ex affectione pulmonis cor quoque affectum fuerit. Hæc causa est, cur Gal. signa à respiratione sumpta omiserit. Pulmonis itaque tanquam instrumenti*
    - Temperies *immutat respirationē sua tum caliditate, tum frigiditate: quoniam uicinum cor simili afficit qualitate. Sic etiam in phthisi ex ulcere pulmonis cor exiccari consueuit.*
    - Compositio *uitiata secundùm meatum, ex materia aliqua decumbente in bronchos, eosq; obstruente, ut paucior aër poßit recipi, & minus ad cor penetrare, cordis temperiem uitiat, quoniam calor non uentilatus augetur, & respiratio hac de causa immutatur.*
  - Communibus, *nempe à naturalibus, quæ per sua excremēta cognoscuntur. Ad pulmonem enim affluit sanguis tenuis et biliosus, quo nutritur. Ex cuius parte craßiore & pituitosiore, utpote inepta ad nutriendum, generantur excrementa, quæ per expirationem ad fauces ui spiritus sublata, per sputum excernuntur spumosa. Indicat ergo sputum pulmonis temperiem naturaliter, illud scilicet quod à pulmone ascendit. Nam à cerebro quoq; & faucibus sputum excernitur. Indicat modus excretionis. A cerebro per pitissationem seu expuitionem, à faucibus per screatum, à pectore per tußim, à pulmone per tußim simul & screatum excernuntur. Cæterùm pulmonis excrementa augentur quoq; à fuliginibus à corde excretis. Sumit igitur signa pulmonis Gal. à quantitate sputi tantùm, breuitatis studio. Nos distinctiùs signa pulmonis deducimus ab excrementorum tum*
    - Substantia. *Quoniam sputum uel est*
      - Totum *uel*
        - Crassum *& spumosum, indicatq; pulmonem Calidum.*
        - Liquidum, *& indicat pulmonem Frigidum.*
      - Secundùm *partes*
        - Æquale, *ex æquali concoctione.*
        - Inæquale, *ex concoctione inæquali, & materiæ diuersitate.*
    - Quantitate. *Quia sputum uel est*
      - Multum. *Humidum arguit pulmonem, atq; etiam Frigidum, si fuerit crudum.*
      - Paucum, *in Sicco pulmone, atq; etian in Calido, quia calor absumit excrementa, merito siccitatis.*
    - Qualitate *tum*
      - Visili, *ut à sputi*
        - Colore. *Sputum naturale albū est, quia pituitosum, & quia calor per ebullitionem & spiritus commixtionem dealbat. Non naturale est liuidum, nigrum, uiride, æruginosum, &c.*
        - Figura. *Conspicitur rotundum, angulosum, &c.*
      - Gustatili: *ut Salsum, Amarum.*
      - Tactili, *quia ab expuente percipitur frigidum, calidum, mediocre.*
- Paßionibus. *Vide in seq. signum* ※

- ✣ **Passionibus** siue potentia patiendi à causis tum internis tum externis. Patitur ergo pulmo uel ut est pars
  - **Similaris:** & uel ab aliquo
    - **Externo**, ab aëre scilicet frigido aut calido. Vt enim uentriculus à cibo & potu, ita pulmo ab aëre inspirato iuuatur & læditur. Rursus, quemadmodum uentriculus ab aëre inspirato leuiter tantùm afficitur, ita quoque pulmo à cibo & potu. Quod quidem experientia nos docet, in utriusque uisceris affectibus.
    - **Interno**, nempe ab excrementis ipsius concoctionis, quæ per tussim reijciuntur. Tussis enim est compressio thoracis naturalis, facta à facultate expultrice, quæ stimulatur à causa aliqua præter naturã uel externa uel interna, lædente partes respirationi inseruientes, quemadmodũ in cerebro est sternutatio. Est ergo motus partim naturalis, propter efficientẽ: partim præter naturam, propter materiam, id est excrementa, quorum merito potuisset inter actiones naturales superius à nobis collocari, nisi excremẽta sola etiam absq; tussi per solum screatum à pulmone interdũ reijcerẽtur. Neque enim tussim excitant, nisi aut quãtitate sua aut qualitate pulmonem plus æquo infestent. Quod quidem ut magis constet, colligamus causas tussis. Quæ omnes in eo conueniunt, quòd molestum aliquem sensum pulmoni aut pectori afferunt. Et pro uarietate causæ, tussis differentiæ assignantur, quòd alia sit tussis
      - **Humida**, in qua aliquid expuitur. Necessariò igitur prouenit à materia aliqua in pulmonibus contenta siue
        - **Per se** (de qua nos hic) quia generatur ab intemperato pulmone, siue molestet & titillet sua
          - **Qualitate** acri.
          - **Quantitate** plurima, intercipiente meatus respirationis.
        - **Per accidens** & aliunde, ut si à capite defluat. Quæ nunc non est nostri instituti.
      - **Sicca tussis**, in qua nihil expuitur. Et hæc quidem materiam uel
        - **Habet**, quæ tussim excitat, quamuis eijci nequeat. Et ab hac tussi sumuntur indicia pulmonis & uicinarũ partium, non per se, sed ratione materiæ. Quoniã materia reijci nequit uel propter
          - **Tenacitatem** suam, quia pertinacissimè adhæret bronchijs pulmonis. Tenacem efficit calor & motus uehemẽs, ex resolutione partium tenuium.
          - **Tenuitatem**, cùm nequeat ui spiritus ad superiora ferri. Sic in principio destillationũ nihil aut parum quid reijci uidemus, donec materia fuerit per concoctionem crassa reddita.
        - **Non habet**, quæ stimulet: sed molestus ille sensus excitatur uel ab aliquo
          - **Externo**, ut à fumo, puluere, cibo & potu exasperante uel pulmones ipsos, uel etiam trachæam.
          - **Interno.** Pulm enim tussit uel
            - **Per se**, ex propria intemperie, in primis à frigida, deinde etiam à calida uehementius exiccãte. De hac tussi hìc loquimur.
            - **Per accidens**, seu p cõsensum à partibus uicinis, ut à
              - **Trachæa** intemperata, uel ab aliqua externa re infestata, ut à fumo, puluere, &c.
              - **Stomachi** morsu à lumbricis.
              - **Hepate** uel **Liene** inflammatis, & pondere suo sepiũ deorsum trahentibus.
              - **Septi** uiolenta tensione ad superiora, quemadmodum in hydrope.
  - **Organica.** Vide in seq. signum ✣

Organica. Vt pulmo pars est organica, ita usum suum habet proprium & peculiarem, ut respirãdo calorẽ cordis euentilet, & excrementa fuliginosa expellat. Verùm quia natura nihil patitur otiosum, ex hoc usu nouam passionem excogitauit, pro significãdis & exprimẽdis animi affectibus, VOCEM scilicet. Nam uoce non dearticulata affectus suos anima irascibilis etiã in brutis exprimit, dearticulata uerò conceptus suos anima rationalis in hominibus explicat. Motus sunt uarij, qui se hoc ordine consequuntur. Prima est Expiratio naturalis sine ullo strepitu, cui diaphragma præcipuè inseruit. Secunda est Efflatio sine strepitu, cui inseruit thorax cum musculis, qui pulmones attollunt. Tertia est Efflatio cum strepitu, quæ dicitur Sonus. Quarta est Vox propriè dicta, quam cum belluis communem habemus, cui inseruit larynx, laryngi famulãtur ligula, musculi laryngis, & trachæa. Quinta est Loquela seu Sermo, hominis proprius, cui inseruit lingua, linguã adiuuant dentes, labra, nares, palatum, gurgulio, retinacula linguæ. Nos hìc uocem propriè dictam intelligimus passionem esse pulmonis, à qua signa temperiei ipsius pulmonis sumantur: eamq; ex Gal. præcepto in fine capitis, naturalem præsupponimus, hoc est, quæ à nullo affectu, ut à timore uel ira, immutata sit. Ira siquidem aucto calore uocem quoq; efficit maiorem. Quamuis enim uoces istæ παθητικαὶ indicant quoq; temperaturam harum partium, non tamen natiuam aut permanentem, sed aduentitiam tantùm & momentaneam. Vocis igitur materia est expiratus aër allisus ad laryngem, trachæam & palatum: forma uerò, ipsa uocis inflexio, pro uaria instrumenti natura: efficiens est anima. Instrumentum propriè est larynx: coadiuuant tamen aliæ quoq; partes, inprimis uerò pulmones: eaq; de causa ex uocis differentijs sumuntur signa temperiei ipsius pulmonis. Nam pulmo expirationis author est, eamq; tum sua temperie tum sua compositione immutare potest. Præterea arteria trachæa ex pulmone enasci uidetur, & principij sui naturam siue temperiem sequi: ut hac ratione ex trachæa pulmonis temperiẽ, & uicissim ex pulmone constitutionẽ arteriæ, probabiliter saltẽ, si non necessariò, inferre possimus. Et hoc est, quod hìc monet Gal. neq; semper, neque primò, sed ex accidenti pulmonis temperaturam ex uoce colligi, eamq; naturalem tantùm. Trachæa enim & larynx etiam à capite desuper immutari possunt, & aduentitiam temperaturam adsciscere, cuius pulmo causam non habet, nec signum aliquod inde sumit. Verùm de uoce aliàs plura. Nunc satis sit scire, uocis differentias, quæ instrumentorum uocalium naturam indicant, quasdam indicare

- **Temperiem** solam in qualitatibus passiuis, primùm quidem laryngis, deinde tracheæ, tandem etiam ex consequenti ipsius pulmonis. Nam instrumenta uocalia
  - **Humida**, uocem efficiunt Raucam, quia aëris repercussio ad instrumentum humidum & molle exigua est & debilis.
  - **Sicca**, uocem pariunt Claram: quia quod siccũ, etiam durum est. Itaque aër ualidè potest repercuti.
- **Conformationem** instrumenti, laryngis uidelicet & tracheæ: quæ tamen conformatio sequitur ipsam temperiem. Si ergo instrumenta sint
  - **Æqualia**, propter mòderatã temperiem, pariunt uocem Lenem.
  - **Inæqualia** & aspera, propter nimiam siccitatem, uox redditur Aspera: propter humiditatẽ nimiam etiã Rauca.
- **Vtrunque**, temperiem simul & cõformationẽ. Sumũtur enim ab omnibus instrumentis. Itaq; ex istis signa temperiei pulmonis depromi possunt. Instrumentorum igitur temperies
  - **Calida**, dilatat ipsa organa. Ad quam dilatationẽ si accedat efflatio propter pulmonis temperiem
    - **Frigidam** debilis (nam non ualde opus habet dilatatione, nisi quantũ cordis calor requirit) uox redditur Grauis.
    - **Calidam** uehemens, uox efficitur Magna.
  - **Frigida**, contrahit ipsa organa. Quòd si iam quoque efflatio propter pulmonis temperiem
    - **Calidam** sit uehemens, uox erit Acuta.
    - **Frigidam** sit debilis, uox redditur Parua.

Iam uerò *cum Galeno particulares temperaturas pulmonis examinemus. Meminit autem frigidæ tantùm, & siccæ, quòd ex his contrariæ quoque facili negotio deduci poßint: atque ex simplicibus pariter compositæ. Nos tamen clarioris doctrinæ gratia singulas per se examinabimus. Itaq; pulmo* CALIDVS *cognoscitur ex sua*

- **Actione**, *non propria, sed communi, quæ per excrementum suum, sputum uidelicet, se prodit. Sputum ergo paucum est, & concoctum, colore tamen subflauo tinctum, saporis uel subamari uel subsalsi, pro uaria caliditatis intensione. Semper tamen cum hac cautione, Ne à capite excrementa delabantur uel alterentur.*
- **Paßione**, *quæ illi conuenit uel ut est pars*
  - **Similaris.** *Læditur ab aliquo uel*
    - **Externo.** *Ab aëre calido læditur, à frigido iuuatur, maximè si cordis temperies quoque calida sit. Eget enim maxima euentilatione. A cibo & potu frigido pariter iuuatur, minimùm tamen.*
    - **Interno**, *nempe ab excrementis, quæ tußim pariunt. Quia pauca sunt excrementa, ideo quoque tußis nulla: nisi uehementior caliditas intendatur, quæ qualitatem acrem & titillantem pariat, unde tußis sicca oritur quandoque.*
  - **Organica**, *à uoce. Calor dilatat instrumenta. Vnde uox uel magna uel grauis consurgit, pro efflationis uehementia uel debilitate. Si ergo pulmo calidus sit, qui plurimum attollatur, pro magna neceßitate euentationis, etiam uehemens erit expiratio seu efflatio: quare uox edetur magna.*

FRIGIDVS *pulmo signa habet sumpta tum ab*

- **Actione** *communi. Excrementa satis copiosa, propter caloris concoquentis debilitatem, eoq; magis, quòd propter constrictionem, quæ à frigiditate oritur, fuligines à corde propulsæ nequeunt liberè expelli.*
- **Paßione** *ipsius, ut est pars.*
  - **Similaris.** *Læditur ab*
    - **Externo**, *aëre uidelicet frigidiore promptißimè, à cibo & potu leuißimè: iuuatur à calido. Cuius contrarium est in uentriculo frigido. Quam occasionem sumit Galenus artificiosi transitus à signis uentriculi ad signa pulmonis.*
    - **Interno**, *uidelicet ab excrementis, quæ cum screatu & tußi expuuntur.*
  - **Organica.** *Vox parua, propter angustiam instrumentorũ uocalium, & efflationem debilem, quia parua est neceßitas euentilandi, propter frigiditatem pulmonis, maximè si cordis caliditas non obstet.*

- SICCI pulmonis indicia Gal. sumit tum ab
  - Actione communi. Excrementa nulla.
  - Passione partis
    - Similaris
      - Externa. Ab exiccantibus læduntur, ab humectantibus iuuantur.
      - Interna. Tussis & screatio nulla.
    - Organica. Vox clara est, propter siccitatē organi inprimis, uidelicet tracheæ & laryngis (nam aër efflatus cum impetu, allidens ad organa sicca, & propter siccitatem dura, sonum efficit clarum) deinde etiam propter siccitatem pulmonis secundariò. Nam si nulla sint in pulmonibus excrementa, nulla quoque cum spiritu expirato efferentur. Quòd si tamen siccitas uehementius intendatur, inæqualitatem pariet, & uocem efficiet asperam.

- Pulmo HVMIDVS se prodit sua tum
  - Actione communi. Excrementa multa.
  - Passione, ut est pars,
    - Similaris: eáq; uel
      - Externa. Læduntur magis ab humectantibus, à siccis iuuantur.
      - Interna. Tussim habent copiosam & facilem.
    - Organica. Vox ipsa obscura est, quia aëris repercussio inualida est, & obtusa. Sic plumbum absque sono esse auditu discernimus. Quòd si humiditas magis augeatur, etiam rauca efficietur, non modo propter natiuam temperiem laryngis & tracheæ, sed etiam propter copiam excrementorum, quæ sursum à pulmone ui spiritus efferuntur. Itaq; quum uehementius aut acutius loqui studuerint, tunc intercidunt excrementa, ui spiritus ex intimis partibus in ipsam trachæam elata.

- Pulmo CALIDVS & HVMIDVS in
  - Actione communi excrementa habet non omnino pauca: calor enim attrahit, eoq; magis, si humiditas calorem uincat. Accedentibus insuper copiosis fuliginibus, à corde calido & humido expulsis.
  - Passione sua, ut est pars
    - Similaris, ab
      - Aëre australi læditur.
      - Excrementis copiosis assiduè tussit.
    - Organica, Vocem habet obscuram & rauceam, magnam tamen, quia adest efflatio uehemens.

CALIDI & SICCI *pulmonis indicia sumuntur partim ab*
- Actione *communi. Excrementa nulla: etsi enim attractio fit aliqua, tamen ui caloris, quem siccitas exacuit, omnino absumuntur.*
- Pasſione *partis*
  - Similaris *ab aliquo*
    - Externo. *Aëre læduntur simili. Læsionem ex uocis corruptione intelliges.*
    - Interno. *Nulla tuſsi uexantur.*
  - Organicæ. *Vox clara est, & maior quàm in priori, quoniam siccitas calorem uehementiorem efficit: nisi quantum accedit efflationi, tantum decedat instrumento, quod minus hîc est quàm in calida & humida temperie.*

Pulmonem FRIGIDVM & SICCVM *his signis cognosces. Namque*
- Actio *communis naturalis excrementa habet pauca, propter contrarias qualitates, quarũ altera aggerit, altera consumit, prout altera alteram magis minus'uè superat.*
- Pasſio *eius, ut est pars*
  - Similaris, *prouenit uel ab*
    - Externo, *læduntur à consimilibus.*
    - Interno, *tuſsim habent siccam plerunque.*
  - Organica, *uox est parua & clara.*

FRIGIDO & HVMIDO *pulmoni signa attribui poſſunt sumpta tum ab*
- Actione *naturali. Excrementa copiosiſsima.*
- Pasſione *partis*
  - Similaris, *quatenus lædi potest ab*
    - Externo, *simili: ut à diſsimili iuuatur.*
    - Interno, *unde tuſsim habet frequentem, & ferè perpetuam.*
  - Organicæ. *Vox est parua & obscura siue rauca, neque diu loqui poſſunt, quin subinde tuſsire & screare cogantur.*

EPILOGVM BREVEM SVBIVNGIT GALENVS, QVO FINEM IMponit signis diagnosticis; quæ indicant insalubritatem simpliciter in quarumuis corporis partium temperatura. Exempla siquidem in principibus partibus omnibus, & in non principibus aliquibus, iisque præcipuis, proposuit: ad quorum imitationem reliquarum quoque corporis partium temperaturam non multo negatio inuestigare & deprehendere poſſumus. Habent enim reliquæ partes corporis, præter iam dictas, exigua temperaturæ indicia, inquit Gal. Nam cùm non ita sint nobiles partes, actionem quoque minus habent nobilem & uariam. Cognoscuntur itaque ex paſsione externa eorum quæ iuuare aut lædere poſſunt, deinde ex actionum naturalium efficacia & robore. Sic ergo lien, intestina, renes, & uesica ex his fontibus cognoscenda ueniunt, obseruata prius illorum natura & usu tum ex Anatome, tum ex ipsa physiologia.

CAPVT XXII. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS CORPORVM siue partium corporis insalubrium simpliciter ratione COMPOSITIONIS.

ACTIONIS *integritas & læsio in quouis membro præcipue quidē à temperatura pendet, secundario uerò etiā à compositione, quæ temperaturæ qualitatem arguit. Vt ergo actio una est, ita quoque signa indicantia habet eadem, ex quibus uel temperaturæ uel compositionis uitium colligere possumus. Quibus autem signis temperies uitiata deprehendatur, iam à Galeno ostensum est: at quæ nam sint indicia compositionis, nunc breuiter docet, ne eadem sæpius repetere cogatur. Nam uel sensu uel ratione cognoscitur. Si sensu, non opus est rationis examine. Si ratione, iidem sunt fontes, qui erant intemperiei. Operæprecium autem erit signa hæc diligenter perpendere, ne morbi qualitate ignorata Medicus suo fine sæpius frustretur. Ad quam quidem inuestigationem summè necessaria erit Anatomes disciplina, ut quo quæq; loco pars sita sit cognoscatur, quem usum habeat, quam conformationem, &c. Itaque partium corporis compositio uitiata & insalubris (sub qua uitium in conformatione comprehenditur, cuius exempla quædam Galenus affert) uel*

- Sensibus *subijcitur, quoniam partes illæ externæ sunt, & oculis conspici possunt. Verbi gratia, caput, thorax, scapulæ, humeri, brachia, cubitus, manus externa, coxendix, femur, tibia, pes. Quapropter ipsius sensus iudicio, absque artificio, compositio illorum deprehenditur, integra ne sit an uitiata, uel in magnitudine, uel in numero, uel in figura, uel in situ, &c.*
- Sensibus *non subijcitur, quia partes illæ non sunt externæ, sed interius in corpore latent. Cognoscitur itaque, pro diuersitate partium, uel*
  - Facile, *nempe ex circumscriptione partis, quæ exterius tum intuētibus tum tangentibus apparet. Exemplum affert Galenus de uentriculo & uesica: quorum uiscerum paruitatem ex circumscriptione externa, illius quidem in hypochondrio, huius uerò in imo uentre, deprehendit, si quando uel ille cibo, uel hæc urina abundantiore repleta esset. Nullum tamen aliud ex interioribus manifesta hac faciliq; cognitione & quodammodo sensata se deprehendere potuisse afferit.*
  - Difficile, *quoniā ratione sola opus est, sensus nihil confert. Proinde coniectura artificiosa dicitur: cuiusmodi etiam fuit ea quæ temperaturæ uitium nobis indicabat. Concurrunt enim hic signa communia, hoc est, quæ tam temperaturæ quàm compositionis uitium arguunt: utrius autem sit, coniectura uerius quàm necessaria demonstratione assequi possumus. Exemplum affert Galenus geminum. Alterum quidem hepatis frigidioris indicia habet: quæ sanè indicia hepar frigidum arguebāt, nisi artificiosa coniectura ex cibi quantitate exigua, & tamen molestante, hepatis uitiatam conformationem in quantitate diminuta esse deprehendisset. Alterum uerò hepatis calidioris indicia habet: regurgitationē uidelicet & uomitum bilis assiduum: quem tamen non in hepatis temperiem, sed in uitiatam conformationem biliosi meatus referri debuisse, ex artificiosa coniectura ab excrementis alui decoloribus desumpta cognouit, quòd uidelicet meatus biliosi maxima portio ad pylorum desineret, neq; (ut alioqui solet) in duodenum emitteretur: quare bilis, quæ alioqui ad intestini transmitti solebat, in uentriculum elata per uomitum excernebatur,*

CAPVT XXIII. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS ægris corporum ÆGRORVM.

Post medij corporis insalubris cognitionem per sua signa, sequũtur signa diagnostica AEGRA: quæ eadem sunt cum signis insalubribus, differunt tantùm secundùm maius & minus. Proinde satis fuit Gal. in aliquibus exemplis nos exercere. Præmittit tamen generalia capita, eademq; infrà cap. 29. clarius explicat: quæ quidem nos hîc in ordinem redigemus, & ad suos fontes reducemus, ne eadem bis repetere cogamur. Quemadmodum ergo Gal. suprà cap. 4. salubritatẽ perfectam ab essentia primùm, deinde à consequentibus deduxit: ita quoque in præsentia ipsius Ægritudinis (quæ alterum est extremum inter qualitates corporeas, quas Medicus cõtemplatur, & sanitati exquisitæ opponitur) inuestigare debemus tum

- **Naturam**, *vide in seq. signum* #
- **Consequentia** *ipsam naturam siue essentiã, per quæ ueluti symptomata propriè dicta, cognoscuntur corpora ægra. Accidunt enim corpori ægro, & ab ægritudine ipsa ueluti à principio suo ortum trahunt, siue toto genere præter naturam sint, siue non toto genere, sed tantùm propter qualitatem, uel quantitatem, uel tempus, uel substantiam immutatã. Hoc enim modo Gal. infrà cap. 30. signa neutra diuidit. Vt ergo accidunt morbo, symptomata dicuntur: ut indicant morbum, signa ægra, eaq; uel propria* καὶ παθογνωμονικὰ*, quæ cum morbo nascuntur & intereunt, atq; adeò morbi speciem indicant: uel non propria, quæ non nascuntur cum morbo, sed paulò pòst adueniunt: idq; uel semper, uel non semper, quæ idcirco Aßidentia seu familiaria,* συνεδρεύοντα *appellantur. Qualiacũq; autem fuerint signa, sumuntur uel ab*
  - **Actionibus** *læsis, quæ ut immediatè ab anima proficiscuntur operante per instrumẽtum corporeum, ita quoq; certißima indicia & per se indicantia pariunt. Quo fit, ut morbus definiatur esse affectio præter naturam, primò & per se actiones lædens. Actiones porrò cuiusq; membri aliæ sunt communes, aliæ propriæ & peculiares, quæ nõ nisi ex ipsius membri usu & facultate cognosci possunt, & in signis insalubribus iam ante exposita sunt. Neq; enim differunt, nisi secundùm magis & minus. Siquidem Insalubria simpliciter sunt cum sensibili operationũ læsione, sed tamẽ obscura: Ægra uerò cum manifesta, ita ut iam actu decumbãt, et à cõsuetis munijs quiescere cogantur, aut certè summos dolores perpeti. Verùm singula particulariter exponere superfluum esset: hîc tantùm generaliter perpendamus tum*
    - **Actiones**, *hoc est, symptomata actionum, quæ à facultatibus animàsticis proueniunt: nimirum ab*
      - **Animali** *tum*
        - **Interna**, *ut*
          - **Imaginatio** *uitiata.*
          - **Delirium.**
          - **Memoria** *læsa.*
        - **Externa**, *tum*
          - **Sentiendi**, *sensus læsi.*
          - **Mouendi**, *motus uitiatus.*
      - **Vitali**, *tum à*
        - **Morali**, *furor uel timiditas.*
        - **Vitiali** *speciatim sumpta, nẽpe pulsus & respirationis immutatio.*
      - **Naturali**, *quatenus prouidet*
        - **Indiuiduo.** *Sic à facultate cõcoctrice signa sumuntur, quæ per sua excrementa innotescit. Concoctio autem uaria est, pro partiũ uarietate: proinde etiam excrementa uaria.*
        - **Speciei.** *Sic à procliuitate & tarditate in uenerem signa ducuntur.*
    - **Læsionem** *ipsam. Læditur actio, uel quia*
      - **Omnino** *tollitur, aufertur & abo-letur. A summo ferè frigore.*
      - **Non** *omnino tollitur, sed ita læditur, ut quãuis consuetas actiones obeat, tamen uel*
        - **Imperfectè** *& debiliter. A frigore ferè immodico, non tamen summo.*
        - **Deprauatè**, *non tantum imperfectè: quia plus facit quã naturæ conueniat, propter caloris mouentis uehementiã.*
  - **Paßionibus**, *vide in seq. signum* △

Naturam, *per quam constituitur & existit. Vt ergo perfecta salubritas tribus simul iunctis perficitur, ita insalubritas siue morbus in illis non modo coniunctis, sed etiam disiunctis esse potest, hoc est, in aliquo istorum trium, uel in*

- **Temperie** *partium similarium uitiata, siue sit*
  - **Simplex**, *absque materiæ affluxu.*
  - **Composita**, *quia unà cum intemperie adest materia, hoc est, humor aliquis uel unus ex quatuor, uel mixtus, qui & corpulentia sua & qualitate lædit.*
- **Compositione** *uitiata partium dissimilarium & organicarum, tum externarum, quæ sensu oculorum deprehendi potest, in magnitudine, conformatione, situ & numero: tum internarum, quæ artificiosa eget coniectura, ut capite præcedenti ostendimus.*
- **Vnitatis solutione**, *tum secundùm continuitatem similarium, tum secundùm contiguitatem dissimilarium.*

△ Passiones *generaliter sumimus, pro quauis qualitate, quæ corpori impressa conspicitur ab aliquo uel interno uel externo. Hinc signa non primò & per se ducuntur, sed per alium, quatenus internarũ actionum uirtutem uel uitium passiones istæ imitantur. Qualescunque enim sint, referuntur uel ad facultatem*

- **Animalem**, *non internam, sed externam, tum*
  - **Sentiendi.** *Passio ergo alia est*
    - **Communis** *omnibus sensibus. Somnus & uigilia.*
    - **Propria** *cuilibet sensorio. Sic, uerbi gratia, sensum tactus sequitur dolor, qui oritur uel ab intẽperie subitò alterante, uel à continui solutione per incisionem, exesionem, fractionem, tensionem.*
  - **Mouendi.** *Agilitas & ignauia.*
- **Vitalem**, *quæ calorem totius fouet & conseruat. Itaque calor qui tactu in toto deprehenditur, uitalem potissimum facultatem sequitur, quamuis hepar quoque nonnihil adiuuet.*
- **Naturalem**, *quæ indiuiduo prospicit tum*
  - **Augendò.** *Huc refertur magnitudo immutata, item conformatio, situs, & numerus.*
  - **Nutriendo:** *quoniã uel id quod est*
    - **Bonum** *in substantiam corporis uertere conatur. Passio est uel* ἀτροφία *& inanitio, uel nimia obesitas.*
    - **Malum**, *excrementum uidelicet, expellere nititur peruias uel*
      - **Consuetas**, *de quibus alibi. Hîc satis sit scire, quòd ea quæ excernũtur uel sunt excremẽta uera, quæ concoctricis facultatis uim in qualibet parte indicant: uel non sunt uera, sed partes loci patientis: sic ex pulmonibus carunculæ & cartilaginosæ particulæ, ex intestinis ramenta excernuntur, è quibus solutionem continui in illa parte colliges.*
      - **Insuetas**, *quia uel in habitũ totius, uel in partẽ aliquam à natura humor propellitur, ut uitiet uel*
        - **Qualitatem** *tum*
          - **Visilem**, *colorem scilicet, qui semper indicat dominiũ humorum qui expelluntur.*
          - **Tactilẽ**, *mollitie uel duritie non naturali.*
        - **Quantitatem**: *potest enim omne genus tumorum præter naturam facere,*

CAPVT XXIIII. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS CEREBRI ægri.

- **Communi**, *uidelicet à Naturali, quæ per sua excrementa cognoscitur, per quascunque uias expellantur. Huc referatur catarrhus, qui pro uaria decubitus ratione, uaria quoque nomina acquirit.*
- **Actionib9.** *Et uel à*
  - **Propria,** *uidelicet ab animali: eaq; rursus tum*
    - **Interna**, *Vide in seq. signum* ✱
    - **Externa,** *sentiendi scilicet & mouẽdi, quæ à cerebro per neruos in uniuersum corpus propagatur. Itaq; quædã læsiones nõ sunt cerebri ꝓpriæ, sed partiũ adnatarũ: ut plurimũ tamẽ à fonte noxa incipit. Atque ut nerui omnes in genere & principio conueniunt, ita quoq; inter se affectiones eorundem sunt cõplicatæ, siue à cerebro affecto proueniãt, siue per essentiã et συμπάθειαν in neruoso genere inueniantur. Nos tamen maioris euidentiæ gratia, læsas actiones externas motus & sensus consideramus uel*
      - **Separatim,** *quòd scilicet lædatur uel altera tantùm, uel si utraque actio, tamen inæqualiter, & tunc à potiori fit denominatio. Itaq; læditur potißimũ uel*
        - **Sensus.** *De sensibus cæteris non simus solliciti, illi enim propria sua habent organa: de Tactu nunc agamus, qui ut maximè necessarius est, ita omniũ cõmunißimus. Tactus ergo aboleri & debilitari potest in alijs quoque cerebri affectibus: deprauari uerò in solo Dolore capitis, hoc est, membranarum quæ cerebrum ambiunt.*
        - **Motus:** *quia uel*
          - **Debilitatur:** *ut in tremore.*
          - **Deprauatur:** *ut in uertigine, in qua etiã imaginatio patitur: in spasmo: in epilepsia, in qua etiam sensus afficiuntur.*
          - **Aboletur,** *propter neruorum obstructionem aut relaxationem: ut in paralysi, in qua interdum sensus quoq; patitur.*
      - **Coniunctim,** *quoniam unà et sensus et motus læditur. Æqualiter enim uel*
        - **Abolentur,** *in apoplexia.*
        - **Debilitantur**, *in stupore.*
        - **Deprauantur**, *in catocho. Motus enim nõ est ablatus, sed deprauatus: sicut etiam in spasmo.*
- **Passione.** *Cuius tamen hoc in loco Gal. distinctè non meminit. Est autem cerebro uel*
  - **Communis** *cum alijs partibus corporis. Potentia seu aptitudo tum patiẽdi à rebus externis tam similibus quàm contrarijs, tum iisdem resistendi. Canones generales iam dudum explicauimus.*
  - **Propria.** *Sic à somno & uigilia, præter naturam uel intensis uel remißis, signa ducuntur.*

*P*OST *uniuersalem tractationem signorum ægrorum totius corporis, subnectit particularia signa ægra, quæ scilicet uel hanc uel illam partem corporis affectam declarent. Nam sanitas & ægritudo sunt accidentia quædam formalia, quæ semper in subiecto aliquo reperiuntur, cum quo sunt & cognoscuntur. Inprimis autem signa* CEREBRI *ægri generaliter proponit, ex quibus colligimus τὸ ἄναι, quòd laboret: τὸ τί ἐστι autem, quo morbo laboret, hic non explicat, uel quia definitiui ordinis compendium hoc non admittit, uel quia ex signis insalubribus cerebri iam dudum expositis colligi potest: cùm signa utriusque differant tantùm secũdum magis & minus. Itaq; omnes morbi ipsius cerebri referũtur uel ad intemperiem, uel ad cõpositionem uitiatam, uel ad solutam unitatem. Cognoscuntur autem per signa externa, siue per symptomata sua, à quibus etiam denominantur. Cùm enim unum atque idem symptoma à diuersis causis oriri poßit, ne causarũ diuersitas confusionem effectuum pareret, primi Medici uno symptomate uelut effectu omnes causas efficientes comprehendere uoluerunt. Atq; hinc est, quòd affectiones cerebri omnes ferè symptomata sunt. Nos igitur in præsentia cum Gal. affecti cerebri symptomata colligemus, ut sunt symptomata, quamuis eadem abusiuè pro morbis sæpe ponantur. Intelligimus autem affectiones cerebri, non externas, ut cutis ipsius capitis, & sensoriorum, sed internas, quatenus cerebrum membranis suis tegitur, & cranio ueluti uasculo continetur. Porrò cognoscũtur symptomata ista per externa quædam, quæ sensibus patent, nimirum per actiones læsas, quæ deinde ad morbum uel in intemperie uel in compositione referuntur. Comprehendimus autem generali nomine actionum etiam ipsas paßiones. Quapropter signa cerebri ægri sumuntur tum ab*

- ✻ Interna, *quæ triplex est: & quia eodem in loco constituta, ideo uix accidit, quin una læsa, etiam aliæ compatiantur. A præcipua tamen læsione symptoma denominatur. Generali nomine, quamuis impropriè, Deliria dicuntur. Particulariter autem læditur uel*
  - Imaginatio, *quia uel*
    - Deprauatur: *ut in*
      - Melancholia, *in qua etiam ratio simul læditur.*
      - Mania, *in qua etiam ratio compatitur.*
      - Incubo, *in quo etiam motus debilitatur.*
    - Debilitatur, *ut in Comate siue Cataphora, quamuis unà sensus & motus afficiantur.*
    - Aufertur, *ut in Caro, quamuis unà reliquæ etiam facultates tam internæ quàm externæ compatiantur.*
  - Ratio. *Propriè Delirium dicitur. Est autem cum febre uel*
    - Vehementi. *Phrenitis.*
    - Lenta. *Lethargus.*
  - Memoria, *ut in Memoria abolita. In cæteris affectibus cerebri memoria etiam deprauatur & debilitatur.*

CAPVT XXV. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS CORDIS ægri.

- COR *quoq; ægrum esse ex ijsdem fontibus cognoscemus. Speciem autem ægritudinis reducimus uel ad intemperiem, uel ad conformationem. Et conformatio quidē uitiata uix ulla ratione à medico cognosci potest: intemperies uerò per signa iam dicenda. Solutionem ægram (nam de salubri & insalubri quæstio fortasse esse posset) stante uita, pati nequit. Quæ autem sit intemperies, ex signis insalubribus simpliciter, suprà iam cap. 10 & 11. propositis, colligi poterit. Cordis igitur ægritudo cognoscetur partim ex*
  - Actione *læsa uel*
    - Communi *siue naturali, nutrice uidelicet, quæ uel impedita uel ablata est. Sic ergo cor patitur Tabem: quæ etsi primò & per se in corde non cognoscatur, tamen ex totius corporis macie colligitur. Oritur autem uel ex nimia siccitate, uel ex nimia frigiditate: nam utraus qualitas principijs uitæ, calido uidelicet atque humido, inimica existit.*
    - Propria, *tum à*
      - Morali. *Mores immutati ostendunt quoque immutatam temperiem cordis, ut excandescentia celerior uel tardior.*
      - Vitali. *Cuius quidem uirtutis lapsus in syncope & λειποθυμίᾳ apparet, nam in uniuersum uitalis facultas sopitur. Particulariter uerò læditur actio ista tum ut est*
        - In corde. *Motus & calor se mutuo fouent & cōseruant. Itaque cordis uitiatur*
          - Motus, *qui ei naturalis est, non uoluntarius, in tremore cordis, in palpitatione, in pulsatione tremula, & in saltu seu exultatione.*
          - Calor *innatus, si immutetur: hoc est, uel*
            - Intendatur, *ut in febribus.*
            - Remittatur, *à causis tum internis tum externis, ut in marasmo senili Quāuis iungatur quoq; siccitas.*
        - A corde. *Sic cognoscitur à*
          - Pulsu *immutato.*
          - Respiratione *difficili & immutata.*
  - Passione *uel*
    - Ipsius cordis. *Sic patitur à refrigerātibus, aut calefacientibus externis. Et passionem istam à primis qualitatibus ortam sequitur dolor in sensu tactus, quem habet merito neruorum, qui non tantùm ad pericardium perueniūt, sed ipsius quoque cordis substantiæ permiscentur.*
    - Totius corporis, *propter cor primariò affectū. Sic ergo in toto corpore iuxta primas qualitates apparet uel*
      - Caliditas *aucta,* / Frigiditas *intēsa,* — Quorum *merito calor quoq; totus immutatur.*
      - Siccitas *nimia, exiccatio & tabes.*
      - Humiditas. *Quæ tamē ad hepar potius referri debet.*

CAPVT XXVI. DE SIGNIS HEPATIS patientis.

HEPAR *quouis morbi genere affici potest, in intemperie, conformatione, & soluta unitate. Quòd autem sit affectum & ægrum, cognosces tum ex*

- Actione *uitiata. Actio hepatis spectat uel ad conseruationem*
  - Indiuidui. *Sic ergo signa uitiati hepatis sumũtur tum à*
    - Sanguinis
      - Generatione, *siue concoctione. Quando facultas ista diminuta est, fiunt hepatici: cognoscuntur ex excretione simili loturæ carnis.*
      - Distributione *& diductione impedita.*
    - Excrementis, *quæ excernuntur uel per*
      - Totum *ambitum. Sic sudor interdum sua qualitate & quantitate uitium humorum à iecore uitiato prouenientium indicat.*
      - Loca *oportuna tum*
        - Supernè: *interdum bilis uomitu reijcitur, ab hepate regurgitans.*
        - Infernè *per*
          - Vesicam.
          - Aluum.
          - Hæmorrhoides.
  - Speciei. *Procliuitas in uenerem intensior uel remißior hepatis quoque temperiem mutatam indicat.*
- Pasione
  - Totius corporis, *quod ab hepate, utpote uiscere principe, immutari potest, ut suprà ostensum est. Hic ergo consideratur color corporis immutatus. Cum hac tamen semper exceptione, Nisi cor obstet.*
  - Ipsius *hepatis. Sic ut plurimum cõmunißima passio est dolor, modò aggrauans, modò pungens, modò comprimens, &c. Patitur tum ab*
    - Externis, *ut à cibo, potu, medicamento simili uel contrario. Iuuantia huc & lædentia referantur.*
    - Internis, *uel*
      - Per consensum *à uicino aliquo uiscere, ut à uentriculo, à thorace affecto in pleuritide, &c.*
      - Per se, *quia ipsummet hepar refertum est uel*
        - Humore *quolibet, qui uel*
          - Obstruit *tantùm, unde obstructiones & icterus.*
          - Obstruit *simul et putrescit, ut in tumoribus præter naturã, phlegmone, scirrho, &c. qui quidem etiam ex circũscriptione externo sensu deprehẽdi possunt. Desinũt aliquando in suppurationes & exulcerationes.*
        - Flatu *qui distendit, & in molem attollit uiscus.*

CAPVT XXVII. DE VENTRICVLI SIGNIS DIAgnosticis ægris.

PRINCIPVM *partium morbum κατὰ τὸ εἶναι per sua signa cognoscere docuit: quis autẽ sit morbus, κατὰ τὸ τί ἐστι, ad therapeuticen spectat inuestigare. Nunc ad partes non principes trãsit, & quasdam illarum explicat. Quo exemplo usi, per epilogismum in cæteris quoque poßimus ægritudinem præsentem inuenire.* VENTRICVLVM *igitur esse affectum morbo aliquo (potest autem & intemperie & conformationis uitio & solutione unitatis infestari) cognoscemus, tum ex*

- Actione *eiusdem naturali. Quã quidem constituimus in præcedentibus duplicẽ: nempe*
  - Appetitum
    - Potus. *Sitis immodica à uentriculo proueniens uel per se, uel per consensum.*
    - Cibi *uel*
      - Corruptũ *tum ratione*
        - Qualitatis *cibi: ut in pica.*
        - Quantitatis: *ut in bulimo, & canina appetentia.*
      - Ablatum, *ut in cibi fastidio.*
      - Diminutum.
  - Concoctionem. *Vide in seq. signum* ⊞
- Pasione, *uidelicet ex dolore acuto et καρδιαλγίᾳ καὶ καρδιωγμῷ, Siue patiatur ab*
  - Externis, *præsertim à cibo & potu.*
  - Internis, *uidelicet ab*
    - Humore *quolibet, qui tumorem generare potest, phlegmonem, &c. Quos sequitur suppuratio, exulceratio.*
    - Flatu, *unde prouenit inflatio.*

- ⊞ Concoctionem. *Cuius uitiũ cognoſcitur uel*
  - Per ſe, *quoniam uel*
    - Ablata *eſt omnino, dicitur* ἀπεψία.
    - Corrupta, *dicitur* δυσπεψία.
    - Diminuta, *& tarda, dicitur* βραδυπεψία.
  - Per *aliud, quoniam facultates reliquæ coadiuuantes ſunt læſæ: cumq; uentriculo annexa ſint inteſtina, fit etiam ut affectiones iſtæ ferè utriſque communes uideantur. Sic*
    - Retentricis *læſio apparet, uel quia eſt*
      - Abolita, *ut in lienteria, quæ tum uentriculo, tum etiam inteſtinis eſt communis.*
      - Diminuta. *Vt in cœliaca affectione.*
    - Expultricis *læſio apparet, quoniam expelluntur per uias*
      - Superiores. *Præcedit nauſea, eructatio. Sequitur uomitus, atque etiam ſingultus.*
      - Inferiores, *ut in diarrhœa, ſiue fluore alui, qui fit ratione uentriculi. Poteſt enim etiam ab alijs partibus ortum ſumere.*
      - Vtraſque, *ut in cholera morbo.*

CAPVT XXVIII. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS THORACIS patientis.

- THORACEM *eſſe affectum colligimus tum ex*
  - Actionibus, *tum*
    - Communibus. *Nempe ab iis quæ reijciuntur per tuſsim. Tuſsis enim hîc eſt communiſsima affectio. Reijcitur uel*
      - Pituita *ſimpliciter. Tuſsis dicitur ſpeciatim.*
      - Sanguis. *Sputum ſanguinis.*
      - Pus *in thorace collectum. Empyema.*
    - Proprijs *ipſius reſpirationis. Sic à difficultate ſpirandi, cuius uariæ ſunt ſpecies, ſigna ſumuntur.*
  - Paſsionibus, *quæ ſequuntur*
    - Motum. *Tuſsis.*
    - Senſum. *Dolor, ut in pleuritide, ſiue uera ſit, ſiue notha.*

IISDEM ferè ſignis PVLMONIS *quoque affectum colligas. Habet enim excrementa modò ſpumoſa tantùm, modò etiam ſanguinolenta, interdum quoque pulmonis ipſius ſubſtantia excreatur. Difficultas adeſt anhelitus, tuſsis exigua, dolor aut nullus aut certè leuiſsimus. Verùm noluit Gal. ſingularum partium affectiones per ſua ſigna declarare: ſatis habuit in quibuſdam periculum facere. Itaque ſubinfert,* TRACHEAE *ægritudines ex iiſdem deduci fontibus. Reijciuntur enim cartilaginoſæ particulæ, anhelitus adeſt difficilis, uox inſuper impedita, tuſsis & dolor in loco. Cauſæ omnium ex iis, quæ ſuprà in pulmonis inſalubris dignotione attulimus, peti debent.*

CAPVT XXIX. INSTAR COROLLARII SVBNECTIT DECLARATIOnem ampliorem fontium generalium, ex quibus ſigna quarumuis partium ægrotantium deduci poſſunt, quos ſuprà cap. 23. propoſuerat tantùm, non autem explicauerat. Nos, ne eadem bis repetere cogeremur, ſtatim à principio hæc omnia ſumus complexi. Inde ergo petantur.

CAPVT XXX. DE SIGNIS NEVTRIS: QVÆ RESPECTV PRÆsentis neutralitatis diagnostica sunt: respectu uerò futuræ uel sanitatis uel ægritudinis, prognostica censeri debent.

DE SIGNIS insalubribus & ægris diagnosticis hactenus. Nunc de NEVTRIS, quæ diagnostica, prognostica, & anamnistica esse possunt, pro diuersa relatione. Nos tamen statim ab initio libri, capite 3. prognostica diuisimus, quòd alia conspicerentur in corpore neutro, & salubritatem aut insalubritatem prænuntiarent, de quibus nũc agemus, sub nomine signorũ neutrorum: alia in corpore ægro, salutẽ aut mortẽ imminentem indicarẽt, de quibus in seq. cap. aget. In præsentia ergo, pro neutrorum signorũ declaratione, illud est obseruandum, quòd signum est rei signatæ signũ, hoc est, accidens corporis sensibile. Vt accidens, ita symptoma dicitur: ut sensibile; ita signũ, quia causam indicat & designat, à qua profluit. Signum igitur neutrum Gal. dupliciter cõsiderat, tum quatenus

- **Signat** siue indicat affectionem corporis humani neutram, quæ media est inter salubrem & ægram. Atq; ut medium ad utrunq; extremorum refertur; ita quoq; signa tum salubria, tum insalubria: neq; differunt ab ijs, nisi secũdùm magis & minus, quemadmodum etiam neutrum corpus cum salubri & insalubri corpore participat. In sanis profectò omnia naturalia sunt: in ægris, quatenus ægra, omnia præter naturam se habent: in neutris, partim naturalia, partim præter naturam. Signa igitur neutra siue prognostica ex fontibus generalibus (quos suprà cap. 3. proposuit, & cap. 23. in diagnosticis explicauit) deduci possunt, nimirum ex actionibus læsis, & paßionibus corporis immutatis: quorum utrunque temperaturæ uarietatem sequitur. Proinde non erat, cur fontes istos hoc in loco Gal. repeteret. Nunc satis sit scire, quòd signum neutrum indicare potest constitutionem tum
  - **Præteritam**, siue ea sana fuerit, siue ægra. In ijs qui sani fuerãt, declinationem à sanitate, & inclinationem ad morbum indicat: in ijs uerò qui ægri decubuerant, declinationẽ à morbo, & inclinationem ad sanitatem, seu recõualescentiam. Atque hi quidem ἀναλήψεως egent, illi uerò προφυλάξεως. In quorum utroq; non minus, & fortasse etiam plus, situm est, quàm in ipsa θεραπείᾳ. Hoc modo signum neutrum erit ἀναμνηστικὸν, κατ' ἐξοχήν.
  - **Futuram** uel ægram, uel sanam, ut in conualescentibus. Sic signum erit prognosticum. Cuius quidem magna est habenda ratio, quandoquidem neutralitatem per se nemo ferè curat, quia nondum à consuetis abducit operationibus, sed propter aliud tantùm, quia scilicet morbum denunciat.
  - **Præsentem** neutram, siue naturalis sit, siue aduẽtitia: siue ut diuersa est à suis extremis, siue ut earundem particeps est, cõsideretur. Sic diagnosticum signum dicitur. Indicat autem neutralitatem uel
    - **Firmam.** ἐν ἕξει. Vocant neutralitatem status. Qualis conspicitur in corpore senili.
    - **Non firmã**, sed fluxam & labilem. Deflectit enim uel ad
      - **Sanitatem**, ut in conualescentibus.
      - **Ægritudinem**, ut in ægrotaturis.
- **Accidit** corpori humano, hoc est, sequitur internam affectionem, neutralitatem scilicet: quæ cùm participet utroq; extremo, etiam accidentia sumit ab utrisque, secundùm magis tantum & minus differentia. Cæterùm particularia accidentia cõstitutionis insalubris simpliciter & ægræ, in toto & in singulis partibus, Iamdudum explicauimus, ut hîc repetere superuacaneum sit: neutra autem ex ijsdem ducuntur. In præsentia tantùm illud est obseruandum, quandoquidem neutralitas non propter se, sed propter πρόγνωσιν cõsideratur, diligenter esse animaduertẽdum, quanta uel acceßio ad id, quod secundùm naturam est, facta sit, uel quãtus lapsus à naturali constitutione. Quod cùm fieri nequeat, nisi & ea quæ secundùm naturã corpori insunt, & ea quæ præter naturã, cognoscamus, ideo Gal. fontes generales signorum hîc afferre noluit, sed nouam diuisionem accidentium neutrorum instituit (à corporis subiecti qualitate) non omnium, sed præcipuorum tantùm: eaq; exemplis illustrat. Symptomata ergo in neutro corpore alia sunt
  - **Naturalia**, quæ non proprijs speciebus (ait Gal.) ab eo quod secundùm naturã est differunt, sed tantùm secundùm magis et minus. Quare corpus indicant neutrum magis ad sanitatem quàm ad ægritudinem inclinare. Conueniunt signa ista in specie & substantia cum signis salubribus, differũt tãtùm per accidens, ratione quantitatis, &c. Gal. igitur recenset tum
    - **Actiones** læsas. Vide in seq. signum ⌗
    - **Paßiones** immutatas tum
      - **Totius**, utpote
        - **Quantitas** corporis uel aucta uel diminuta.
        - **Qualitas** mutata secundùm colorem.
      - **Partis** cuiuslibet. Singularum singulas recensere non est præsentis instituti, sed cum Galeno proponimus tantùm exẽpla in
        - **Cerebro.** Vt quia somni & uigiliarum mutata est quãtitas naturalis: aut qualitas, ut insomnia turbulenta: aut tempus, ut somnus diurnus.
        - **Vẽtriculo.** Vt non bene se habere ad oblata: non oblectari cibo.
  - **Non naturalia.** Vide in seq. signum ⚹

Actiones *læsas intelligimus debilitatas tantùm. Nam abolitio aut corruptio actionum signum ægrum est: uel si quis actiones corruptas signũ neutrum dicere uelit, non naturale illud esse cogetur fateri. Debilitatur ergo actio tum*

- Animalis, *siue in cerebro, siue extra cerebrum sit. Et uel*
  - Interna, *ut*
    - Phantasia. *Docilitas & indocilitas, maior aut minor consueto.*
    - Iudicium. *Hebetudo uel acumen ingenij.*
    - Memoria. *Obliuio aut uiuacitas memoriæ.*
  - Externa. *Conspicitur in*
    - Motu,
      - Torpor.
      - Grauitas.
      - Exolutio.
    - Sensu quolibet *externo uitium & debilitas.*
- Vitalis. *Mutatur itaque tum*
  - Vitalis *facultas in*
    - Pulsu.
    - Respiratione.
  - Moralis, *& per affectus animi se prodit.*
- Naturalis. *Quæ spectatur tum in*
  - Appetitu,
    - Cibi & potus. *Hic per se naturalis est & salubris: neuter autem efficitur mutata*
      - Substantia. *Dura olim naturaliter appetebat, nunc mollia.*
      - Quantitate. *Maior uel minor solito.*
      - Qualitate. *Quondam calida, nunc frigida.*
      - Tempore. *Olim citiùs, nunc tardiùs.*
    - Venereorum, *qui mutatur secundùm*
      - Quantitatem.
      - Tempus.
  - Concoctione, *quam per excrementa cognoscimus tũ in*
    - Toto corpore, *ut per sudorem.*
    - Partibus, *ut, in*
      - Cerebro, *quoniam uel per se fluũt, uel per sternutationẽ expelluntur.*
      - Alui *fæcibus.*
      - Ventriculi *uomitu.*
      - Vesicæ *& renum urina.*
      - Vteri *mensibus.*
      - Hæmorrhoidibus.

    Mutatio *istorũ omniũ neutra est, si in una tantùm cõditione, aut certè in paucioribus peccent. Quando in omnibus simul, Ægra signa reddũtur. Mutãtur ergo excremẽta uel in sola*
    - Substantia. *Dura, liquida.*
    - Quãtitate. *Multa, pauca.*
    - Qualitate. *Color mutatus.*
    - Tempore.
    - Modo *excretionis. Cum flatu per aluum, cum sternutatione ex capite, cum tußi ex thorace, cum ructu aut uomitu ex uentriculo.*

- Non naturalia, *quæ proprijs ſpeciebus (inquit Gal.) differunt ab ijs quæ ſecundùm naturam in corporibus ſanis conſpiciuntur. Quæ quidem ut ſunt non naturalia, ita neutralitatem indicant non exquiſitè mediam, ſed magis ad ægritudinem declinantem. Præterea à ſignis ægris differunt tantùm ſecundùm magis & minus, & quòd illa ſtabilia ſunt, hæc uerò neque firma neque ſtabilia, cùm nondum à conſuetis operationibus abducant. Huc ergo referantur*
  - Actiones *læſæ, hoc eſt, ut plurimum corruptæ: quemadmodum in naturalibus debilitabantur. Corrumpitur ergo ſeu deprauatur actio tum*
    - Animalis *uel*
      - Interna, *imaginandi, iudicandi, memorandi.*
      - Externa. *Adeſt in*
        - Motu *corruptio: ut palpitatio, tremor, &c.*
        - Senſu *exteriore, ut in*
          - Guſtu *ſapor ſalſus, amarus, acidus, à nulla cauſa externa.*
          - Odoratu *odor aliquis peregrinus, nullo obiecto exterius præſente.*
          - Auditu *tinnitus & ſibillus.*
          - Viſu *imagines & colores uarij.*
          - Tactu *dolor aliquis mediocris, in quacunque corporis parte. Qui tamen commodiùs ad paßiones referri poteſt.*
    - Vitalis, *ut ſi lædatur*
      - Vitalis, *quatenus ſpiritum uitalem ſubminiſtrat, ut in* λειποθυμίᾳ *& exolutionibus. Pulſus & reſpiratio hîc locum non habent, quoniam mutatio illorum neutra naturalis eſt.*
      - Moralis: *quod ex nouis quibuſdam & inſolitis affectibus animi, qui prius non ineſſe conſueuerant, colligitur.*
    - Naturalis. *Nulla facultas naturalis neutra reperitur, quæ propria ſpecie, ſeu toto genere, ab eo quod naturale eſt, differat, niſi fortè concoctrix aliquid ſimile in ſuis oſtendat excrementis, quæ uel per os, uel per ſeceſſum abeunt. Sic uaria fluxionum genera conſpiciuntur omnino non naturalia, cùm nec ſubſtantia, nec qualitate, nec quantitate, nec tempore, nec modo, cum naturalibus conueniant.*
  - Paßiones *immutatæ. Sic in toto corpore animato cõmuniſsima paßio percipitur, Dolor, qui eſt ſymptoma ſenſus omnibus communis, tactus ſcilicet. Corrumpitur ergo tactus uel ab intemperie aliqua, uel à ſolutione unitatis: & dolorẽ parit tum in*
    - Toto *corpore, ex ſenſu punctionis, grauitatis, compreßionis, diſtenſionis. Ex ſpecie doloris, materiam doloris deprehendimus.*
    - Parte, *ut in*
      - Capite.
      - Ventriculo *& ſtomacho. Morſus, compreßio, fluctuatio, punctio.*
      - Inteſtinis *tormina.*
      - Veſica & renibus.

CAPVT XXXI. DE SIGNIS PROGNOSTICIS EVENTVS morbi in corpore ægro.

Prognostica signa alia in neutro corpore reperiuntur, alia in Ægro: & quidem in præsenti tempore Diagnostica, in futuro uerò Prognostica dicuntur. Porrò in corpore neutro uel sanitatem uel morbũ denuntiant: in Ægro uerò exitum ipsius morbi, hoc est, uel conualescentiã, uel mortem. Cæterùm in horũ signorum explicatione duo sunt notanda: nempe

- **Signatum**, hoc est, res, seu qualitas, seu accidens, quod signa ista prænuntiant in ægro corpore. In quo duo sunt hostes, Morbus, et Natura seu uirtus. Naturã conseruare oportet, morbũ profligare. Cõseruatur natura, uirtutibus seu facultatibus animæ integris. Morbus profligatur, sublata causa continente, siue humor sit, siue sola intemperies. Si humor, concoctione & euacuatione eget: si intemperies, alteratione. Itaq; in omni morbo uirtute opus est: non autem in omni morbo opus est cõcoctione. Quare facultatem uitalem medicus utpote minister naturæ, semper requirit & obseruat: naturalem concoquentem non semper. Porrò quia inter se pugnant natura & morbus, idcirco pro uarietate huius pugnæ morborum tempora generalia medici constituerunt, principium, augmentũ, statum, & declinationem: quæ partim ex concoctione materiæ, partim ex symptomatum uehementia cognoscuntur & distinguuntur. Signatum ergo est uel naturæ uel morbi uictoria per se, quamuis per accidens simul & uirtutis & morbi robur indicent: nam quantum uni additur, tantum alteri detrahitur. Signa uerò suum signatum indicant uel
  - **Certò**, nempe uel uictoriam
    - **Naturæ**. Salubria sunt signa, & sumuntur præcipuè ab actionibus uitalibus & animalibus. Quando uirtus uincit, morbus superatur: idcirco per accidẽs eadem signa indicant morbũ quoq; declinare. Et quia natura robusta expellit sæpenumero causam morbi, humores scilicet corruptos, ideo κατ' ἐξοχὴν signa dicuntur critica, à iudice potius, hoc est à natura, quàm à materia iudicata.
    - **Materiæ**. In genere Ægra sunt signa, in specie uerò mortalia. Sumuntur potißimũ ab exerementis, si morbus sit materialis (ut autem expulsio fiebat critica à uirtute ualida, ita à debili fit symptomatica.) deinde etiam à paßionibus, ut in morbo non materia'i. Per accidens naturæ quoque debilitatem indicant.
    - **Vtriusque** æqualem. Neutra signa propriè dicuntur, non neutri corporis, sed neutri euentus ipsius morbi. Gal. in specie loquitur, signa hæc nec coctionem nec cruditatem indicare.
  - **Incerto**, quia idem symptoma à diuersis causis prouenire potest, pro diuersitate corporum, loci affecti, morbi & temporis. Dicuntur signa neutra impropriè, quia nec salutem nec mortem certò indicant, sed ῥοπὴν tantum constituunt, quod deinde cum reliquis signis cõferre oportet. Hoc ostendit Gal. exemplo digitorum denigratorum.
- **Signum**, siue symptoma corporis ægri, quatenus futura denuntiat: siue sit ex ijs quæ propria sunt corpori ægro, quatenus eo morbo laborat, siue sit ex ijs, quæ nõ sunt propria, sed consequentia uel semper, uel aliquando tantùm. Quorũ quidem differentia ex signis ægris cuiusque particulæ et speciei ægritudinis sumenda est. Fontes generales ducuntur uel à
  - **Formali** ratione. Refertur enim signum, qualecunq; fuerit, uel ad
    - **Actiones**: quarum aliæ cognoscuntur
      - **Per se**, ut Animalis & uitalis. Indicant Naturæ ferè robur.
      - **Per aliud**. Naturalis per sua excrementa. Indicant ferè morbi materiam.
    - **Paßiones**, tum totius, tum partis. Indicant potißimum Morbum ipsum, siue materialis sit, siue absque humore sit. Qualitas autem horum symptomatum ex tempore morbi æstimanda est. Nam ante concoctionem nigredo unguium lethalis est, si etiam alia signa mala adsint. Post concoctionem uerò & crisim est salubre signum. Et paßiones quidem omnes non perse, sed merito uirtutis & uitij actionum, à quibus imprimuntur, prognostica euadunt.
  - **Materia** subiecta, in qua actu reperiũtur. Nam pro dignitate partis, cuius est symptoma, accedit quoque plus uel minus certitudinis ipsi signo. Sumuntur igitur signa prognostica uel à partibus
    - **Principibus**, à quarum actione integra uel læsa certò prædici potest euentus morbi, præsertim à uitali, & naturali, deinde etiam ab animali. A testibus quoque prænotio depromitur, obscurior illa tamen, nec ita certa.
    - **Non principibus**: & ijs rursus uel
      - **Ortis** à principibus, quibus etiam famulãtur: ut uenæ, arteriæ, nerui, uasa spermatica. Incerta ex his est prænotio. Interdum enim principij sui affectionem imitantur, interdum propria affectione laborant.
      - **Non ortis** à principib. quæ tamẽ usum habeãt pro conseruatione principij alicuius uitalis uel
        - **Necessarium**, ut uentriculus, pulmo, intestina, lien, renes, uesica. Ex quibus adhuc incertior est prænotio: & quo membrũ ignobilius, eo quoq; minus uirium habet in indicando. Nam ex uentriculi & pulmonis affectione certior est prænotio, quàm ex renibus aut liene.
        - **Non necessarium**, siue facultatem
          - **Non habeant**, nullã omnino, nec insitã, nec influentem, ut pili & ungnes. Non sunt partes propriè, proinde nec signa ab his per se sumuntur, sed tantùm quia per accidens indicant naturalis facultatis uim: ambiguè tamen, cùm ferè unus atq; idem effectus ad diuersas causas referri queat.
          - **Habeant**. Ex quibus nullo modo per se prædicimus, sed tantũ per accidẽs, nempe propter συμπάθειαν cũ principibus partibus: quæ tamen non est perpetua. Porrò partium istarum aliæ habent facultatẽ
            - **Insitã** tantùm, non influentẽ: ut os, cartilago, mẽbrana, glandulæ, adeps, caro simplex, ligamentum.
            - **Insitã** simul & influentem: ut caro cõposita, et mu,culi.

CAPVT XXXII. DE CAVSIS. QVÆ TERTIA EST PARS EXplicationis particularis, definitionis ab initio propositæ. Præmittitur autem generalis tractatio & dispositio causarum.

Tertius hic est liber, iuxta Barbarorũ diuisionem: in quo tertiam particulã in definitione Medicinæ statim ab initio positam explicat, CAVSAS *uidelicet. Intelligimus autem hic causas non constituentes humanum corpus (de quibus pars medicinæ φυσιολογικὸν agit) sed eas quæ uel sanitatem uel morbum inducere possunt. Cùm autem causæ efficientes sanitatis aliæ sint principes, Natura uidelicet: aliæ coadiuuantes tantùm, eaq; rursus uel tãquam ministræ, Medicus scilicet, uel tanquam instrumenta, quibus medicus utitur: nos hic de instrumentis solis orationem instituemus, iisq; salubribus, ex quibus contrariæ causæ insalubres quoque cognosci possunt, quas medicus per se non considerat, sed tantùm per accidens, nimirum ut eò commodius causas salubres corpori admouere queat. Et per se quidem nulla causa uel salubris uel insalubris dici debet, sed respectu corporis, cui effectum hunc imprimit, ministrãte medico, qui pro uaria ratione corporis uariam quoq; rationem agendi habet. Quemadmodum igitur corpora & signa superius generali ratione diuisit, in salubria, in insalubria & neutra, ita quoq; causæ diuidi possunt, quòd aliæ sint*

- **Salubres,** *quæ salubritatem in corpore pariũt. Verùm quia corpus uariè affici potest, idcirco etiam causæ quæ admouentur uariant. Et proinde uno nomine salubres dicũtur, siue constitutionem corporis*
  - **Conseruent,** *in bona & salubri constitutione. Dicũtur ergo causæ conseruantes, quia in præsenti statu corpus cõseruant. Sin ad futurum tempus referantur, præseruatiuæ dici possunt. Tempore autem priores sunt effectricibus, ut et corpus salubre tempore prius est q̃ insalubre. Priores etiam sunt dignitate, quia præclarius est conseruare corpus, ne ab optima temperie labatur, quàm lapsum corrigere. Porrò quomodo cõseruatio ista fiat, & quæ sint causæ conseruantes, diligentiùs expendendũ est. Quod quidem accuratè admodum et ingeniosè Gal. exequitur, idq; tum*
    - **Generaliter,** *hoc Cap.* XXXII.
    - **Particulariter.** *Tradit enim causas conseruãtes tum constitutionis*
      - **Optimæ.** *Cap.* XXXIII.
      - **Deflectentis** *ab optima parum admodum. Nam si recessus magnus fiat, nõ amplius salubris constitutio, sed Insalubris appellaretur: sin adhuc maior, ita ut operationes quoque læderentur, Ægra esset, ut cap. 35. declarat. Et uidetur sanè hoc in loco Gal. corpus medium inter duo extrema, scilicet inter optimã constitutionem & ipsam ægritudinem, intelligere uoluisse (de quo suprà cap. 3. quod & neutrum appellari potest, & salubre, larga significatione, & etiam insalubre, pro diuersa relatione ad sua extrema) quoniã comprehendit corpora non tantùm in intemperie deflectentia ab optima constitutione, uerùm etiam in compositione & unitate, quæ nemo salubria appellarit, nisi impropriè. Itaq; causas conseruantes tradit Gal. cõstitutionem deflectentem ab optima tum secundùm*
        - **Temperiẽ.** *Cap.* XXXIIII.
        - **Cõpositionem.** *Cap.* XXXV.
        - **Vnitatem.** *Cap.* XXXVI.
  - **Immutent.** *Vide in seq. signum* ✲
- **Insalubres,** *quæ insalubritatem corpori imprimere possunt, cuiuscunq; gradus illa sit. De his Gal. nihil in præsentia. Nos breuiter & in uniuersum insalubres eas uocamus, quæ morbum generare possunt, uel mediatè, uel immediatè, siue sint*
  - **Extra** *corpus.* προκαταρκτικαὶ *dicuntur.*
  - **Intra** *corpus, & morbum uel*
    - **Actu** *faciant.* Συνεχεῖς, *Continentes causæ dicuntur. Quas medicus absq; philosophiæ opera nunquã intelliget.*
    - **Potentia** *facturæ sint, uel facere possint, uel iam faciant.* προηγούμεναι *dicuntur, Antecedentes.*

✻ Immutent, *corrigant & emendent, atq; ad meliorem statum transferant. Dicuntur Effectrices eius quod non est in præsentia, quamuis fuerit in præterito tempore. Sunt igitur tempore posteriores, atq; etiam dignitate, ipsis conseruantibus: reipsa nihil ab illis differũt, sed effectu tantùm. Porrò nec immutãtes causæ omnes sunt eiusdem generis, sed uariant pro uarietate corporis, cuius constitutionẽ emendant. Nam uel est corpus*

- Insalubre, *seu potius ægrum, tum ratione*
  - Intemperiei. *Causas immutantes docet Cap.* XXXVII.
  - Vnitatis *solutæ, tum*
    - Simplicis, *in*
      - Carne. *Cap.* XXXVIII.
      - Osse. *Cap.* XXXIX.
      - Neruo *uel tendine. Cap.* XL.
    - Compositæ. *Cuius causas immutantes docet Capite* XLI.
  - Compositionis *uitiatæ tum in*
    - Conformatione *uel*
      - Simpliciter *in*
        - Figura. *Capite* XLII.
        - Meatu *& cauitate. Cap.* XLIII.
        - Superficie. *Cap.* XLIIII.
      - Compositæ *cum alijs. Cap.* XLV.
    - Numero. *Cap.* XLVI.
    - Magnitudine. *Cap.* XLVII.
    - Situ. *Cap.* XLVIII.
- Neutrum, *uel*
  - Decidens. *De cuius causis, Cap.* XLIX.
  - Conualescens. *Causas immutantes seu reficientes, uide Cap.* L.

Hactenus *de dispositione totius tractationis causarum. Nunc ad expositionem Cap.* XXXII. *deueniamus, in quo salubres causas conseruantes in uniuersum Gal. exequitur. Corpus nostrum ex contrarijs elementis compositum* ἀπαθὲς *est. Necessarium ergo est, ut aßiduè conseruetur, ne à causis alterantibus obrutum corrumpatur. Conseruatur autem res quælibet, quãdo causæ ex quibus constat, integræ manent. Cùm igitur causæ cõstituentes seu principia uitæ duo sint, calidum & humidũ, omnes quoq; causæ efficientes tam externæ quàm internæ, salubres erunt, si ad alterutrius principij conseruationem faciant. Causæ ergo conseruantes, generaliter considerantur uel*

- Per se, †
- Respectu *alterius, uidelicet corporis quod conseruatur. Quatenus ergo ei applicantur, dicũtur instrumenta medica, media inter agentem medicũ & patientem ægrũ, siue corpus cui applicãtur, ut in illud agant. Agendo autem in corpus, à corpore uicißim uel*
  - Non patiuntur, *quia non deducuntur in actum à calore natiuo, sed solius Medici manu administrãtur, & ab illo uim accipiunt urendi, secandi, &c. Hoc instrumentũ propriè* χειρουργία *dicitur, quãdo manũ operatur Medicus. Nam si, uerbi gratia, cauterio potentiali urat,* οὐ χειρουργεῖ, ἀλλὰ φαρμακεύει. *Impropriè tamen chirurgi appellatione multa alia continentur.*
  - Patiuntur, *quoniã à calore naturali in actum deducũtur. Medicus applicat tantũ, Natura operatur. Hæc ergo corpus uel*
    - Alunt, *ita ut substantiæ corporis aßimilentur. Hoc instrumentum* Δίαιτα *dicitur, cuius præcipua pars est cibus & potus: ad quorum rectum usum aliarũ quoq; rerum non naturalium commoderatio concurrit.*
    - Alterant *uel*
      - Corrumpendo, *quia siue in actum deducantur à calore, siue non deducãtur, principijs uitæ officiunt, ue nena. Quorum Medico non est usus, nisi ut noxã ab eis illatam amoliri poßit.*
      - Conseruando *siue per se, siue per accidẽs. Hoc instrumentum* φάρμακα *dicitur. intelligimus autem medicamenta quouis modo sumpta aut applicita.*

† Per se, *quatenus disiunctæ sunt à corpore, in quo effectum edunt. Sic dicuntur Res non naturales, quia non constituunt naturam hominis (quemadmodum Res naturales, de quibus physiologus) neque tamen eidem aduersantur (ut res præter naturam, morbus scilicet, sub quo symptomata et causas comprehendimus) si conuenienter adhibeantur: sed medio modo se habent, quia opportuno usu constitutionē bonam corporis conseruant & reficiunt, importuno uerò eandem corrumpunt atq; abolent. Proinde etiam Materia medica uocantur. Corpus enim humanum quatenus sub medici cōtemplationem cadit & subiectum est, habet materiam ex qua constat, Res scilicet naturales: præterea Formam, propter quàm à medico consideratur, Res uidelicet secundum naturam & præter naturam, hoc est quatenus est sanum uel ægrum: deniq; efficientem sanitatis uel ægritudinis, Res non naturales, quibus tanquam instrumētis medicus utitur. Itaq; materia dicuntur subiecta, ex qua causas conseruātes Medicus efficit, debita Qualitate & Quantitate obseruata, sub quibus etiam tempus comprehenditur: siquidem pro temporis uarietate, in quo corpus hac uel illa affectione præditum est, etiam causarum istarum quantitas & qualitas immutanda erit. Quamuis clarioris doctrinæ gratia in docendo, distinctè tempus quoq; connumeretur, etiam ab ipso Gal. ut in seq. patebit. Additur & ordo in lib. de Sani. tuend. qui sub qualitate comprehendi potest. Causæ ergo non naturales corpori occurrunt, illudq; alterant uel*

- Non necessariò, *quæ à prudenti homine euitari possunt: ut enses, feræ, incēdia. Quæ quidem à Medico non considerantur, nisi quatenus effectum ab illis impressum corrigere potest, eorum natura optimè prius perspecta. Atque ut non sunt necessariæ causæ, ita corporis conseruationi nihil conferunt: neque enim principia uitæ fouent, sed corrumpunt tantùm.*
- Necessariò, *quoniam nulla ratione euitari possunt, siue sint*
  - Internæ, *hoc est, in ipsis uitæ radicibus reperiantur. Sic humidum innatum indies à calore exiccatur. Calor uerò aboletur uel tabe, absumpto humido, in quo cōsistebat, uel extinctione à multitudine excrementorum. De causis istis alterantibus nunc non loquimur, sed de ijs tantùm: quæ à Medico adhiberi possunt pro conseruatione sanitatis.*
  - Externæ, *quibus natura carere nō potest, quia principia uitæ fouent et reficiunt: conferunt enim uel ad humidi uel ad calidi reparationem, in quibus uita consistit, et per quæ anima ipsa munijs suis fungitur. Itaq; quamuis quælibet res non naturalis possit uarijs animæ actionib. inseruire (uerbi gratia, exercitatio, & caloris uitalis euentationi, & fuligmū excretioni, potissimum tamen Motui confert, & proinde ad animalis facultatis conseruationem à nobis refertur) tamē à potiori fit denominatio, ita ut dicamus alias alterare facultatem*
    - Animalem, *tum*
      - Internam, *studia & cogitationes: quæ sub animi accidentijs alioqui comprehenduntur.*
      - Externam, *tum*
        - Sentiendi, *Somnus & uigilia: quæ per accidens & uitali & naturali quoque conferre uel officere possunt.*
        - Mouendi, *Quies & motus.*
    - Vitalē, *tum*
      - ζωτικὴν. *Calorem euentilat Aër per pulsum et respirationem, atque ita corpus alterat qualitate tum*
        - Occulta, *quæ sensui tactus non pateat.*
        - Manifesta, *per qualitatū primarum impressionē.*
      - ἠθικὴν. *Animi mores, τὰ πάθη. sub quibus studia & cogitationes comprehendimus: à quibus alteratur corpus, propter resolutionē spiritus uitalis, è quo generatur animalis. Porrò inter animi accidentia quædam calorem natiuum*
        - Conseruant & *exuscitant: ut lætitia & gaudium moderatum, item ira mediocris.*
        - Destruunt *uel in*
          - Σβέσεις, *affectus illi qui caloris euentationē prohibent, & à circūferentia ad centrum spiritus unà cum sanguine reuocant, ut tristitia, timor.*
          - Μαράνσεις. *affectus illi, qui calorem diffundūt, et plus æquo accendunt, ut alimento commodo destitutus, in seipsum agere cogatur. maxima ergo spirituū fit resolutio: ut in uehementi ira & furore.*
    - Naturalem, *tum*
      - Per se, *ea quæ assumuntur, oblata: cibus uidelicet, & potus.*
      - Per accidens, *Inanitio et Repletio, propter eius quod superfluum est excretionem, siue sit*
        - Inutile, *excrementum.*
        - Vtile, *semen. Huc uenereorū usus refertur.*

CAPVT XXXIII. DE CAVSIS CONSERVANTIBVS optimam constitutionem.

INTER *salubres causas conseruantes primum locum obtiuent illæ, quæ optimam cõstitutionẽ (in qua nec temperies, nec cõpositio, nec unitas, uel minimam habet labem) in statu suo conseruant. Quas quidem nunc Gal. particulariter explicat. Sunt autẽ res non naturales dictæ, quæ corpori necessariò occurrunt, siue conferant facultati*

- **Animali** *externæ (internam enim sub accidentibus animi cõprehendimus) tum*
  - **Sentiendi:** *Somnus & uigilia. In quibus obseruamus tũ*
    - **Quantitatem.** *Mediocris somnus erit in optimè constituto corpore, quandoquidem mediocris quoq; spirituum fit resolutio, qui per somnum restaurantur.*
    - **Qualitatem.** *Nulla hic aßignari potest, quæ ad conseruationem aliquid afferat momenti.*
    - **Tempus.** *Post labores diurnos: item post corporis refectionem, cùm iam in uentriculo subsederit alimentum.*
  - **Mouendi:** *Motus & quies. Huc etiam Vitæ industria referri potest. In istis quoq; obseruamus*
    - **Quantitatem.** *Cùm primum lassari ceperit, & modico sudore corpus perfunditur, roseusq; color exoritur, tunc ab exercitio siue motu desinat.*
    - **Qualitas.** *Exercitium omnibus partibus corporis commune sit, ne una tantum particula exerceatur, altera quiescat. Meritò igitur Gal. paruæ pilæ ludum proprio opusculo laudauit.*
    - **Tempus.** *Peracta prima, secunda, atque etiam tertia concoctione, ut exerementa fuliginosa expellantur, & calor natiuus euentetur.*
- **Vitali** *tum*
  - Ζωτικῇ. *Aër sit temperatus, ut nec horreat propter frigus, nec sudet propter æstum. Calor enim temperatus temperato aëre conseruari postulat. Nec manifestæ tantum qualitates, sed occultæ quoque in aëre obseruandæ ueniunt, ne calori officiant.*
  - Ηθικῇ. *Caueant omnes animi immodicos affectus, iræ, tristitiæ, furoris, timoris, inuidiæ, &c. qui uel resoluant calorem, uel suffocent.*
- **Naturali,** *uel*
  - **Per se,** *quoniam eam reficiunt & restaurant. Cibus & potus. Quos primùm appetit homo, deinde concoquit. Horum igitur*
    - **Quantitas** *pendet ex neceßitate nutriendi modica in corpore optimè constituto. Itaque tantum appetat, quantum potest concoquere: tantum concoquat, quantum pro augmento & restauratione corporis satis est.*
    - **Qualitas** *temperata esse debet. Nam simile simili nutritur.*
    - **Tempus.** *Post tertiam cõcoctionem in membris peractã Fames enim naturalis ex suctione membrorum principium sumit.*
  - **Per accidens:** *ea enim amoliũtur, quæ naturalis facultatis actioni officere possent. In omni siquidem concoctione generantur excrementa: quæ etsi usus quoq; suos habent in corpore, tamen è corpore tandem expelli debẽt, siue sint*
    - **Inutilia** *ad conseruationem uel indiuidui uel speciei. Vt uariæ sunt uariarũ partium concoctiones, ita quoq; uaria excrementa. Quæ quidem omnia in eo conueniunt, quòd in corpore optimè constituto*
      - **Substantiam** *habent siue consistentiam mediocrem.*
      - **Quantitatem** *proportione respondentem habent ijs quæ assumpta & concocta fuerunt.*
      - **Qualitatem** *tum primam tum à primis ortam obtinent inculpatam.*
      - **Tempore** *oportuno excernuntur.*
      - **Locum** *& ductus seruant proprios.*
    - **Vtilia** *ad conseruationem speciei primò & per se. Semen. Cuius quidem excretio in usu uenereorũ oportuno, etiam indiuiduo confert, contra Epicureorum sententiã, non tamen per se, sed per accidens. Conferũt autem uenerea, si obseruetur*
      - **Quantitas.** *Si tantum interualli in uenereorũ usu interponatur, ut neq; resolutio aliqua sentiatur, & ipse seipso homo leuior quodammodo factus, ac meliùs spirare uideatur.*
      - **Qualitas,** *siue modus. Ne aut nimia spirituum resolutio ex uehemẽtiori agitatione oboriatur, aut ex tardiori seminis eiaculatione, aliqua seminis particula retenta putrescat.*
      - **Tempus.** *Cùm in omnium rerum circumstantiũ siue non naturaliũ (ut uocant) mediocritate corpus fuerit constitutum, ueneri tutò & salubriter indulgere licet.*

CAPVT XXXIIII. DE CAVSIS CONSERVANTIBVS CONSTItutionem bonam & ſalubrem, deflectentem ab optima in ſola temperie.

POST CAVSAS *conſeruantes optimæ conſtitutionis, ſuccedunt cauſæ conſeruantes conſtitutionem bonam quidem & ſalubrem (lato ſalubritatis ſignificato, pro corpore medio inter duo extrema) deflectẽtem tamen ab optima uel ſecundùm temperiem, uel ſecundùm compoſitionem, uel ſecūdum unitatem. Hoc autem capite de cauſis conſeruantibus eius ſalubritatis, quæ in ſola temperie ab optima deflectit, agemus. In quarum enarratione Gal. conſiderat duo: nempe*

- **Sanitatẽ** *ipſam, ſiue temperaturã bonam, quam cõſeruare uolumus. Ad quam medicus reſpicit tum*
  - **Per ſe,** *nimirum quòd ut nunc bona eſt, & quatenus bona, eatenus conſeruanda: ſiue in actiuis, ſiue in paßiuis qualitatibus, tum ſimplicibus, tum compoſitis, exceſſus ſit factus. Cauſæ autem Conſeruantes hanc temperaturam naturalem ſimiles eſſe debent ipſi temperaturæ, ut quantum temperatura iſta excedit temperaturam optimam, tantum quoq; cauſæ iſtæ cõſeruantes excedant cauſas conſeruantes optimæ conſtitutionis. Nam ſimile ſimili cõſeruatur. Sunt ergo ſpecie eædem, differunt tantùm ratione accidentium. Res enim non naturales ſecundùm quantitatem, qualitatem, tempus, modum adminiſtrandi, auctæ uel remiſſæ, omne genus qualitatis ſeu temperiei corpori humano imprimere poſſunt: ut quamuis actu tales non eſſe uideantur, potentia tamen tales euadant, poſtquam ſcilicet à calore in actum deductæ, in corpus agere cœperint. Et de his quidem alias exactiùs. In præſentia illud tãtùm eſt obſeruandum, quæ res quibus qualitatibus introducendis magis ſint oportunæ & conuenientes. Moderatus certè uſus in quantitate, qualitate, & tempore, optimæ conſtitutioni congruit: immoderatus uerò, qui in quantitate aut qualitate peccat, bonæ quidem conſtitutioni, deflectenti tamen ab optima per aliquam qualitatem, conuenit. Res itaq; naturales corpus alterare poſſunt uel ſecundùm qualitates*
    - **Omnes,** *quoniã quot ſunt differentiæ & coniugationes qualitatum, totidem Res non naturalis poteſt ſuſcipere, & ſimul corpus cui offertur immutare. Omne ergo genus qualitatum ſuſcipit & imprimit tum*
      - **Aër,** *non purus ille & elementaris, ſed mixtus, quem inſpiramus, qui uerius uapor quàm aër dici deberet.*
      - **Cibus** *atq; potus.*
      - **Animi accidentia.** *Quorum alia calefacere, alia refrigerare poſſunt, et per accidẽs etiam humectare & exiccare.*
    - **Quaſdam** *tãtùm, primò et per ſe, quæuis per accidens pluribus quoque inſeruiant. Sic potiſſimū*
      - **Calefacit** *Motus ſiue exercitium corporis.*
      - **Refrigerat** *Quies.*
      - **Humectat**
        - *Repletio.*
        - *Somnus.*
      - **Exiccat**
        - *Inanitio.*
        - *Vigiliæ.*
  - **Reſpectu alterius,** *optimæ ſcilicet conſtitutionis, à qua deflectit. Sic ad optimã traduci poſtulat. Cauſæ ergo quæ genere eædem ſunt cum conſeruantibus, ſed contrariæ tamen, Transferentes dici debent. Et ad totum quidem ſanitatis genus relatæ, quia ſanum in genere conſeruant, ſub conſeruantes (largo uocabuli ſignificato) referuntur: at quia ſanum in ſpecie ad meliorem ſtatum transferunt, Alteratiuæ, Curatiuæ, & naturalium defectuum Correctiuæ dici poſſent: eaq; de cauſa inter effectrices potius quàm inter conſeruatrices referri deberent, niſi uitij exiguitas, quod uix perſentitur, illorum euidentiæ detraheret. Curamus enim confertim & ſubitò, corrigimus paulatim & ſenſim: & in curatione ſentitur alteratio, in correctione non ſentitur. Porrò quantus erit exceſſus temperaturæ huius ab optima, tantus quoque non in ſimili (ut in conſeruantibus) ſed in contraria qualitate exceſſus rei non naturalis erit, per quam corpus hoc ad temperaturam optimam reduci debet. Quo quidem in loco duo notat Gal. Alterum, non quibuſuis hominibus hoc genus conſeruationis, ſeu potiùs translationis conuenire, ſed illis tantùm, quibus præter corporis curam nihil aliud negotij incumbit. Alterum, ne ſubitò hæc mutatio fiat, ſed ſenſim: quandoquidem natura non patitur repentinas alterationes, teſte Hippocrate.*
- **Corpus** *ſubiectum.* *Vide in ſeq. ſignum* △

△ Corpus *subiectum, ueluti materiam, quæ formam recipiat, ipsam uidelicet sanitatem. Itaq; temperatura tantum ab optima deflectens, ut adhuc bona & salubris dici possit (& proinde conseruationem semper quidem desideret: translationem uerò in otiosis tantum hominibus, & qui nullis occupationibus necessarijs sunt obstricti, admittat) uel reperitur in*

- Toto *corpore talis, & in singulis partibus una atque eadem. Quare facilior erit conseruatio, cùm partes conspirent: difficilior uerò translatio siue alteratio.*
- Partibus *aliquibus, præsertim in principibus. Sic in corde uel hepate esse potest tantùm, non etiam in cerebro aut reliquis partibus. Quare difficilior erit conseruatio: semper enim metuendum, ne quantum uerbi gratia uentriculo calido administratione similium in gradu prodes, tantum hepati calidissimo officias. Translatio uerò, quæ huic generi maximè debetur, facilior est, quia minor est resistentia in una parte, quàm in pluribus seu omnibus simul iunctis.*

CAPVT XXXV. DE CAVSIS CONSERVANTIBVS CONSTITVtionem salubrem, quæ in sola compositione ab optima deflectit.

In causis cõseruantibus salubrem cõstitutionem, deflectẽtem tamen ab optima per solam compositionem, animaduertere debemus cum Gal. tum

- Vitium *ipsius compositionis, merito cuius à constitutione optima decidit. Quod quidem in toto corpore esse nequit, sed in parte tantùm uel dissimilari, uel certè similari, quatenus dissimilaris partis portio est. Cæterùm uitium non est insigne, sed tale, quod quamuis interdum sensui occurrat & medici & ægri (neq; enim quoduis uitium sensu potest cognosci, quãdo intus in corpore latet) tamẽ nulla planè molestia afficit patientem. Non insensibili, hoc est, quam patiens non percipiat, sed solus medicus: quo ipso differt à corpore neutro. Non sensibili, eáq; uel parua, quo differt à corpore insalubri: uel magna, quo differt à corpore ægro. Porrò compositio partibus dissimilaribus conuenit, quemadmodum temperatura similaribus. Quamuis enim utrauis in utrisq; partibus reperitur, diuersa tamen ratione, per se scilicet, & per accidens. Sic uerbi gratia magnitudo, numerus, conformatio, etiam in similaribus partibus uitiari potest, non tamen illis quatenus similares sunt, id est, quatenus unitatem & temperiem habent, conuenit, sed quatenus ad compositionem cõcurrunt. Componuntur autem ea, quæ sunt naturæ diuersæ & dissimilis. Fit enim semper denominatio ab eo quod præcipuum est. Sic quoque in tumore præter naturam uitiata est temperatura, compositio quoque: tamen quia soluta unitas primas obtinet, ideo inter morbos solutionis continui refertur.*

  Compositio ergo uitiata est uel

  - Simplex, *quia in uno tantùm compositio peccat: nimirum uel ratione*
    - Materiæ. *In qua spectatur tum*
      - Quantitas, *uel*
        - Continua. *Vitium in* MAGNITVDINE *uel excedente uel deficiente.*
        - Discreta. NVMERVS *uel auctus uel diminutus: in partibus tum naturalibus, ut sextus digitus: tum præternaturalibus, ut næuus aliquis.*
      - Locus. SITVS *immutatus.*
    - Formæ. *Vitiari potest* CONFORMATIO *tum*
      - Interna. *Dilatata uel obstructa tum*
        - Cauitate, *uentriculi, intestinorum, uesicæ.*
        - Meatu, *uenarum, arteriarum, neruorum.*
      - Externa, *quæ cõsistit in læsione qualitatis tũ*
        - Formalis, *figuræ scilicet.*
        - Materialis, *superficiei uidelicet plus æquo asperæ aut læuis.*
  - Composita, *quia sæpe duo aut tria uitia eandem partem occupare possunt, quorum singula talia sint, quæ actionem lædant, & curationem ad se trahant. Nisi enim ita distinguas, nullum ferè etiam simplicis morbi genus erit, quod non compositum habeat aliud morbi genus: in quo tamen semper à potiori fit denominatio. Sic uentriculus in quantitate diminuta, in figura rotunda, in situ uersus septum peccauit, ut Galenus hoc in loco historicè refert.*

- Causas. *Vide in seq. signum* *

* Causas, *quibus hoc uitium medicus, tanquam naturæ minister, uel ad optimã constitutionem transferat, uel si hoc fieri nequeat conseruet tantùm, ne maior fiat lapsus, atq; adeò præseruet. Et quidem ut uaria læsio esse potest compositionis, ita quoque non omnes easdem causas admittunt. Verum tamen & illud est, quòd ex simplicium læsionum cognitione, possunt eadem methodo compositæ quoq; læsiones cognosci & tractari. Itaque causæ salubres uitiatæ compositionis*

- Generaliter *αἱ ἐνδείξεις non tam in sex rebus non naturalibus, siue in diæta, ut uocant, consistunt, quàm in pharmacia & chirurgia. Atque ut in temperaturæ conseruatione diæta plurimum poterat, ita hìc reliqua duo instrumenta. Quamuis in aliquibus compositionis uitiatæ speciebus non parum quoque uictus ratio commodare poßit, ut in obstructionibus, in asperitate cutis, in magnitudine indecenti: in aliquibus uerò sola manus opera aut pharmacorum usus locum habet.*
- Particulariter *eandem diuisionem habẽt, quam causæ salubres temperaturæ læsæ, superiori capite expositæ. Nam compositionem hãc uitiatam consideramus uel*
  - Per se, *nempe quòd aut nulla afficit molestia hominẽ, aut certè exigua admodum & ferè insensili. Quare semper quidem conseruationem sui postulat, ut in eo statu conseruetur, ne uidelicet ulterius lædatur, & ex compositione adhuc dum salubri, insalubris, aut etiam ægra fiat: Reductio uerò non semper hîc fieri potest, neque tuta est. Sic in uentriculo natura paruo, rotundo, & ad septum recumbente reductio nulla, sola conseruatio locum habebat (ut refert Gal.) quæ fiebat pauco cibo per uices assumpto, qui qualitate & quantitate sua non læderet. Similiter hepatis meatuum angustia in naturali statu conseruabatur uictu attenuante & incidente.*
  - Respectu *alterius, optimæ scilicet compositionis, ad quam reduci postulat. Reductio porrò in aliquibus tantùm partibus fieri potest, & secundùm aliquas tantùm compositionis species, & aliquo tantùm tempore, utpote in prima pueritia.*
    - Nec *conseruatio in omnibus eadem, nec reductio in omnib. possibilis. Exẽplis hoc docet Gal. in uitiata*
      - Cõformatione *secundùm*
        - Figuram, *uaram, ualgam, obliquam, curuam, rotundam in tenellis corporibus infantium posse corrigi formatione & ligatione.*
        - Cauitatem, *cùm adhuc crescit homo, si nimis ampla sit, quiete & alligatione corrigi posse: si nimis parua, exercitatione partis conuenienti, & spiritus retentione.*
        - Meatum, *iisdem remediis, quibus et cauitas, corrigi debere: insuper uerò etiam attenuante uictus ratione in obstructionibus esse utendum.*
        - Superficiem, *uictus ratione & pharmacis emendari.*
      - Magnitudine: *quia uel*
        - Deficit. *Corrigenda est naturali motu, frictione moderata, omnibus denique iis quæ sanguinem attrahere possunt. Conseruanda uerò, ut uerbi gratia uentriculus paruus, pauca quantitate cibi, & debita qualitate.*
        - Excedit. *Corrigitur quiete & commoda alligatione.*
      - Numero *uel*
        - Aucto, *siue pars addita naturalis sit, ut sextus digitus: siue omnino præter naturam, ut calculus. Auferatur: aut si absque periculo auferri nequeat, transponatur.*
        - Diminuto, *uel partium carnosarum ortarum ex sanguine, quæ possunt & chirurgia & pharmacia generari, quamuis nõ sine maxima difficultate: uel partium spermaticarum, quæ siue natura siue casu deficiant, restitui nequeũt, sed quædã aliæ illarum loco. Sic in oßibus, in cute, in uenis & arteriis dissectis callus internascitur.*
      - Situ. *Transpositio loco correctionis molienda est: quamuis ne illi quidem semper sit locus, pro natura partium.*

CAPVT XXXVI. DE CAVSIS CONSERVANTIBVS CONSTITVtionem ſalubrem deflectentem ab optima per ſolutionem unitatis.

Solvtio *unitatis reperitur in partibus tam ſimilaribus quàm diſsimilaribus. Quæ ſi fuerit cum inſigni operationum læſione, ut animal decumbere cogat, Morbus dicitur: ſin cum minori, Inſalubre efficit corpus: ſi cum minima, Neutralitatẽ parit, quæ tamen ſub ſalubritate communiter ſumpta comprehẽditur, atque ideirco hîc inter corpora ſalubria connumeratur. Oportet ergo minimam eſſe læſionem unitatis. Cuius quidem animaduertendæ ſunt*

- Species & *differentiæ. Diſsimilares ex ſimilaribus componuntur. Itaque neceſſe eſt, ut quãdo ſoluitur contiguitas diſsimilarium, ſoluatur etiam continuitas ſimilarium: ſed non econtra. Vnitatis igitur ſolutæ ſpecies ex ſubiecto ſiue ex partium diuerſitate deducuntur. Partes enim aliæ ſunt*
  - Diſsimilares *aut organicæ, ex ſimilaribus compoſitæ & conglutinatæ, non continuatæ. Quare ſi diſiungãtur, non ſolutionem continui, ſed contigui tantùm pati dicuntur: uerbi gratia, ſi oſſa luxentur, contiguitas partium diſsimilarium, oſsium ſcilicet, ligamentorum, muſculorum, &c. ſoluta eſt.*
  - Similares, *ex elementis ſecundùm ueram mixtionem compoſitæ & continuatæ, ita ut extrema ſint unum. Quare ſolutio continui, non contigui tantùm, in iſtis accidit. Porrò quot ſunt ſimilarium partiũ ſpecies, totidem quoque ſpecies continuitatis ſolutæ erunt: ut nunc eas prætermittamus, quæ ex modo & occaſione ipſius ſolutionis in quauis ſpecie nomen habent. De quibus exactiùs infrà, ubi cauſas curatiuas ſolutæ unitatis explicabimus. Nũc ſatis ſit ſcire, quòd unitatis ſolutio uarias habet ſpecies, pro ſubiecti uarietate. Nam ſimilariũ partium aliæ oriuntur ex*
    - Semine. *Solidiores ſunt & robuſtiores quàm illæ, quæ ex ſanguine formantur. Quare tum ratione ortus, tũ dignitatis & uſus, non ſine periculo continui ſolutionem patiũtur. Inter ſe rurſus differũt, quòd aliæ ſunt*
      - Molliores, *ſiue ſint*
        - Vaſa, *ut*
          - Venæ.
          - Arteriæ.
          - Nerui.
        - Tegumenta, *ut membranæ.*
      - Duriores, *ut*
        - Ligamenta.
        - Cartilagines.
        - Oſſa.
    - Sanguine *menſtruo. Caro ſimplex. In qua continui ſolutio minus periculoſa eſt.*
- Cauſæ. *De quibus nihil in præſentia Gal. ſed inferiùs tantùm, ubi de effectricibus agit. Nam unitatis ſolutio imaginatione quidem ſalubris comprehendi poteſt, actu uerò aut non datur, aut ſi datur, à medico ſub ſalubritate non comprehenditur: niſi fortè tam ſit exigua, (uerbi gratia, cutis intertrigo leuis) ut eam pro nihilo ducat. Quare mentionem quidem fecit hoc in loco Gal. ſolutæ unitatis, ſed nullas cauſas conſeruantes protulit. Quarum tamen ſi aliquæ confingi poſſunt, erunt aliæ quidem*
  - Præſeruantes, *ne ulteriùs ſerpat malum, & inſalubritatem aut etiam morbum afferat.*
  - Trãsferentes, *quæ ad optimam & integerrimam unitatem reducunt.*

CAPVT XXXVII. DE CAVSIS EFFECTRICIBVS SALVBRITATIS. Primùm autem de curatricibus causis morbi in INTEMPERIE, tum in genere, tum in specie.

De conseruatricibus hactenus. Nunc de EFFECTRICIBVS *salubribus, ex quibus Effectrices quoque insalubres, lege contrarietatis, intelligi poterunt. Sunt autem eædem cum conseruãtibus, quia rerum non naturaliũ ambitu definiuntur, & triplici instrumẽto continentur, chirurgia, diæta, & pharmacia. Porrò salubritatem dicuntur efficere, quoniam insalubritatem uel corrigunt, uel immutant, uel anteuertunt, pro uaria corporis affectione. Neque faciunt aliquid de nouo, sed reficiunt tantùm. Effectio ergo ista ut intentio est medici, ita generale quid & confusum, quod exactiùs distingui debet. Quare generalem theoriam Gal. hîc instituit causarum efficientium cuiuslibet speciei insalubritatis: quamuis occasionem huius à causis curatiuis insalubritatis secundùm intemperiem desumere uideatur. Nos secuti Gal. primùm quidem scopos, intẽtiones, indicationesq́; curatiuas generaliter depromemus: deinde uerò ad curationem intemperiei descendemus. Itaque Effectionem seu Refectionem istam ex suis fontibus deducamus: qui non tantùm actioni circa insalubre corpus conueniunt, sed etiam actioni circa corpus salubre. Generalis enim est theoria, & fortasse rectiùs tractationi de causis præfigi potuisset. In omni motu est mobile, mouens, & actus ipse siue motus. Quare hîc quoque consideranda erunt hæc tria, uidelicet*

- **Mobile**, *corpus humanum, quatenus ægrotabile est & sanabile: eatenus enim sub medici contemplationem cadit. Hinc iam depromuntur generalissimæ intentiones curatiuæ. Corpus enim uel est*
  - **Conseruandum** *in sua natura & constitutione, per causas conseruatrices iam antè expositas. Intentio igitur generalis hîc est* CONSERVATIO.
  - **Immutandum** *& transferendum à termino insalubri ad salubrem. Intentio generalis hîc erit* EFFECTIO *seu* REFECTIO *eius quod corruptum est.*
- **Motus**, *siue actio aut effectio ista, quam in corpore per debita instrumenta medicus molitur. Denominatur autem à termino in quẽ: et intentiones paulo distinctiores, quamuis adhuc generales, parit. Salubritas enim uel est*
  - **Præsens.** *Conseruatur salubri uictus ratione, quam ὑγιεινὴ præscribit. Quare intentio hîc erit ὑγιεινὴ, hoc est* SANITATIS CONSERVATIO, *non simpliciter conseruatio.*
  - **Absens** *siue actu siue potentia proxima. Reparãda igitur & de integro restituenda. Intentiones hîc distinguẽdæ sunt ratione temporis, in quo fit motus. Siquidem insalubritas uel*
    - **Facta** *iam & perfecta est: quando scilicet causa antecedens in continentem mutatur. Corpus efficitur insalubre simpliciter: & simplex intentio est* CVRATIO. *Quam ab hoc Cap.* XXXVII. *usque ad Cap.* XLIX. *declarat.*
    - **Futura** *est, quia neutrum corpus, quod actiones sensibiliter nõ habet læsas, ad insalubritatem procliue est, siue fit*
      - **Ante** *morbum: ut in neutrò decidentiæ. Intentio simplex est* PRAESERVATIO. *De cuius causis infrà Cap.* XLIX. *agit.*
      - **Post** *morbum: ut in neutrò conualescentiæ. Intentio simplex est* REFECTIO: *quam Gal. ad ὑγιεινὴν refert. De causis refectricibus uide infrà Cap.* L.
    - **Fit**, *adhuc in motu & tempore medio est: neque enim adhuc tota causa antecedens in continentem transiit. Corpus non simpliciter, sed secundùm quid insalubre dicitur: & intentio non simplex, sed composita erit,* CVRATIO *eius quod iam factum est, cuius merito corpus dicitur insalubre: &* PRAESERVATIO *eius quod futurum est, cuius merito corpus neutrum dici posset. Vtrunque præstabitur per remotionem causæ, continentis quidem in curando, antecedentis uerò in præseruando. Porrò quia hæc intentio ex duabus simplicibus & peti & intelligi debet, ideo Gal. breuitati consulens illam non attigit.*
- **Mouens** *Medicus. Vide in seq. signum* ⊞

- ⊞ Mouens, *Medicus, qui per instrumenta operatur. In quorum oportuno usu omnia sunt sita. Quę nos non ex intentionibus generalibus, sed ex indicationibus particularibus & distinctis discemus. Neq; enim alio differt intentio ab indicatione, quàm quo actio confusa ab actione distincta. Nam quẽadmodũ sagittarius primò scopum contingere cupit, deinde adhibet ea quæ hoc præstare possunt: ita quoq; intẽtio docet Medicum agere circa corpus humanum, indicatio uerò actionem dirigit et circumscribit. In quibus sanè tota medica praxis consistit. Quare diligentiùs à nobis excolatur, & ἀνακεφαλαίωσις iam dictorum instituatur. Medici scopus est sanitas: finis, eiusdem possessio. Sanitas unica est, in sui natura & formali ratione considerata: differt pro uaria ratione corporũ suscipientiũ. Quare uarijs quoque medijs tum custoditur, tum reparatur. Tota profectò Medicina in actione, seu ποιήσει potius consistit, ut finem suum acquirat. Qui ergo in agẽdo optimus fuerit, optimus censeri debet medicus. τὸ δ' ἐν τοῖς ἰατρικοῖς ποιήσεσιν in quibus sitũ sit, uidendum erit. Actionem ergo istam quædam*
  - Præscribunt, *monent enim quòd sit agendũ, et actionis etiam qualitatẽ exprimunt. Sed quo modo, ubi, quando, quid, quantum, non determinãt. Præscriptio ista confusa est, diciturq; INTENTIO, metaphora ducta à sagittarijs, qui oculum ad scopum intendunt. Sic quoq; digitũ ad fontem intendere dicimus. Porrò intentionum duplex est genus. Aliæ enim sunt*
    - Generales *admodum & confusæ, quas Gal. superiùs statim ab initio cap. 32. proposuit, & ex illis causas diuisit. Sumuntur ex ipso corpore subiecto, quod est uel*
      - Salubre. CONSERVATIO *hic erit intentio.*
      - Insalubre. EFFECTIO *salubritatis, intentio erit.*
    - Particulares *et distinctæ, quoniam ipsas generales quodãmodo explicãt, & motum generalem, hoc est actionem, in suas species diducũt, pro natura corporis cui applicantur. Sic ergo*
      - Conseruatio *per sanitatis custodiam in corpore salubri fit, quæ* ΥΓΙΕΙΝΗ *dicitur.*
      - Effectio *nõ est unius generis: quare etiam intentio alia est*
        - Simplex, *in corpore*
          - Insalubri, *iam facta ægritudine:* CVRATIO.
          - Neutro *tũ*
            - Conualescente: *dicitur* REFECTIO.
            - Decidẽte: PRAESERVATIO.
        - Composita *ex prædictis. In corpore insalubri, in quo morbus nondũ factus est, sed adhuc fit & generatur,* CVRATIO *cum* PRAESERVATIONE *iuncta est.*
  - Declarant *& distinguunt, quæ generali nomine & κατ' ἐξοχὴν* INDICATIONES *dicuntur. Nam si cum intentionibus cõferãtur, illæ quidem mutæ, hæ solæ loqui uidebũtur, & actionem non tantùm præscribere, sed etiam indicare, & fontem ipsum monstrare. Vt ergo sagittarius non tãtùm oculo scopum collimat, sed instrumenta etiam quibus scopum attingat studiosè adhibet: ita quoque Medicus Dogmaticus non sola intentione contentus est (quam cum Empirico cõmunem habet) sed insuper inquirit indicationẽ. Indicatio porrò dupliciter sumitur, uel*
    - Propriè. Ἔνδειξις *dicitur. Sumitur autem à propriè indicãtibus. Propriè indicantia dicuntur ea, quibus cum morbus uel sanitas necessariò est & esse conspicitur, siue sint*
      - Essentialia, *hoc est, causæ continentes, materia scilicet & forma: quæ in corpore quidem ægro ablationem sui per contrarium postulant: in sano uerò conseruationem sui per similia. Quare indicant* QVID *sit agendum.*
      - Accidentalia. *Sic ergo ex affectionũ, uerbi gratia, ipsius morbi*
        - Quantitate, *sumitur indicatio* QVANTVM *sit agendum.*
        - Qualitate, QVOMODO, *seu quo instrumento.*
        - Tempore *tam uniuersali quàm particulari,* QVANDO.
        - Loco affecto, VBI.
    - Impropriè. *vide in seq. signum* *

* Impropriè. Συνδείξις dicitur. Sumitur à propriè indicantibus, hoc est, ab ijs quæ morbi naturam non sequuntur, nec essentialiter, nec accidentaliter, sed tamen in corpore reperiuntur, & non parum momenti afferunt ad indicationes uel promouendas uel impediendas. Quapropter Coindicationes dicũtur, & ab Auicenna Limitantia uocantur, quia limitant quodãmodo & terminum præscribunt ipsis indicationibus, quem prætergredi non liceat. Auicenna decem numero ponit. Gal. nullo certo numero comprehendit, sed sub uirtute & ætate tanquã præcipuis cætera quoque subintelligi uult: quãdo, uerbi gratia, phlebotomiæ indicationes sumere iubet primùm à morbo (qui indicat quid sit agendum) eoq; magno (qui quantum) quæ propria est indicatio: deinde uerò ex uirtute & ætate tanquam ex coindicantibus seu indicationibus improprijs limitãdam esse propriam indicationẽ asserit. Nos Auicennam distinctioris doctrinæ gratia sequamur, & decem ista limitantia in ordinem redigamus. Alia enim

- **In corpore** *sunt, & corpori insunt uel*
  - **Essentialiter** *& per se, quatenus corpus ex suis causis constat. Sic ergo in corpore est ratione*
    - **Materiæ,** HABITVS CORPORIS *& membrorum: ad quem* SITVS *quoque membri profundus uel eminens referri debet. Ex his ergo limitantur & definiuntur indicationes. Quod Gal. duplici exemplo in seq. declarat. Nam situs profundior membri quod postulat*
      - **Calefactionem,** *remedia calefacientia in maiori gradu, quàm morbus requirat, exigit: quia uirtus eorundem refringitur, antequam per profundum locum penetrare poßint.*
      - **Refrigerationem,** *quia refrigerãtia etiam condensant & constringunt, ea eligenda esse monet, quæ simul poros aperiant, ut uis medicamentorum eousq; deduci queat.*
    - **Formæ,** *à qua profluit tum*
      - TEMPERATVRA *totius & partiũ principalium propriè dicta, quæ sequitur mixtionem quatuor primarum qualitatum. Hinc membrum calidum calidis in gradu conseruari postulat, nec tantum refrigerari, quantum membrũ frigidum, quando ad naturalem statum reducitur.*
      - VIRTVS, *quæ sequitur temperaturam impropriè dictam, formam scilicet animalis, à qua profluunt actiones, hoc est animam. Et ad uirtutem quidẽ reliqua limitãtia uel mediatè uel immediatè reduci possunt. Virtus membri principis semper conseruãda est. Verbi gratia, in hepate quod refrigerationem postulat, quia membrum est princeps, uirtus illius condicat, ne nimia refrigeratione omnino exoluatur.*
  - **Accidentaliter,** *siue*
    - **Necessariò** *& ineuitabiliter, propter actionem caloris in humidum, quam metitur solis cursus certo annorum spacio. Sic* AETAS *coindicat.*
    - **Non necessariò** *homini eueniant, quia sine illis esse potest: ut* ACCIDENTIA *familiaria ægro, siue natura sint illi insita, ut defectus animi ex inspectione sanguinis, stomachi subuersio ex assumptione pharmaci: siue aduentitia, ut quia morbum comitantur.*
- **Extra** *corpus sunt, uel*
  - **Ineuitabilia.** *Sic coindicat ratione*
    - **Loci** *tum*
      - AER.
      - REGIO.
    - **Temporis,** ANNI CONSTITVTIO.
  - **Euitabilia.** *Coindicat tum*
    - VITAE INDVSTRIA.
    - CONSVETVDO.

Post uniuersalem tractationem intentionum & indicationum actionis medicæ, particularem subiūgenus, quatenus scilicet in efficienda salubritate uersatur, & CVRATIO dicitur. Quæ quidē id quod præter naturā est in corpore, contrario illius tollit: sicuti ecōtra Conseruatio id, quod secūdùm naturam erat, similium usu conseruabat. Sunt autem causæ salubres curatiuæ nòn per se tales, sed respectu corporis insalubris: cui si rectè adhibeantur, salubritatem efficiunt. Opponūtur itaq; causæ curatiuæ salubres ipsis insalubribus ratione contrarietatis: quæ causæ insalubres uel iam morbum faciūt, uel certè facere possunt, nisi impediantur. Quare ut salubres curatiuæ cognoscātur, contrariæ causæ insalubres optimè prius sunt inuestigādæ. Sunt ergo tria in corpore nostro præter naturam, Morbus, Causa, et Symptoma: & morbus quidem sui curationem, causa sui ablationem, symptoma correctionē postulat. Morbus ille est, qui primò et per se actionem lædit: quare illi ante omnia incumbēdum. Neq; causæ ratio haberetur, nisi morbifica esset, & morbum foueret. Quare ante morbum est remouēda. Symptoma post morbi extirpationem corrigatur: nisi uehementia sua medici curā ad se trahat. Morbus igitur ueluti basis est & centrū reliquorum duorum: quare species illius explicentur. Quot enim sunt morborū differētiæ, totidem quoq; sunt curationes particulares, quas Gal. ordine hic exequitur. MORBVS, cui debetur curatio, differētias habet ex diuersitate subiecti, hoc est partiū corporis quas occupat. Nam uel occupat partes

Similares tantùm, quæ ex elemētis per mixtionem perfectam ortum trahunt. Miscētur autem elementa tota totis secundùm materiam & secundùm formā. Ratione quidem materiæ uniuntur partes, & proinde unitatis solutionem similares quoque partes pati possūt. Ratione uerò formæ attemperantur partes, & temperaturā contrahunt, quæ propria similariū partium est: atq; idcirco etiam uitium temperaturæ morbus proprius est partium similarium, quatenus sunt similares. Vitiata temperatura curari debet. Obseruandæ ergo sunt (ut hîc Gal. monet, & nos in generali theoria iam antè diximus) tum

Intentiones curatiuæ. Sic Gal. canonem ponit generalem, & inquit: Curatio unam præcipuam ac communißimam habet intentionem, ad id quod est dispositioni auferendæ contrarium. Nam cùm lapsus sit à salubritate, ueluti à medio, necesse est ut à contrario immoderato ad moderationem & mediocritatem redigatur. Contrariam autem intelligo causam salubrem dispositioni ægræ, potentiâ, etsi non semper actu: quæ scilicet talis sit, ut non modò quando corpori adhibetur alteret, sed etiam postquam à calore corporis pati siue in actum deduci ceperit. Intentio ergo communißima, & omnibus morbis conueniens, ea est, secundùm quam Hippocrates Medicinam descripsit, προσθέσιος scilicet deficientis, καὶ ἀφαιρέσιος redundantis: quarum utraque per contrarium administratur. Sic quoq; Methodici suas κοινότητας habebāt, Vacuum & Plenum: fortaßis non ineptè, in morbis materialibus. In immaterialibus uerò absurdè admodum. Nam, uerbi gratia, partem plus æquo calefactam non euacuamus, sed alteramus tantùm, si intemperies sit simplex & absq; materia: quare hîc pleni & uacui ratio non habetur, sed deficiētis tantùm refrigerationis, siue caloris exuperantis. Proinde calor exuperans, qui propriè intemperiem & morbum efficit, suo contrario curatur & profligatur: frigiditas uerò deficiens suo simili per accidens tantùm restituitur membro affecto.

Indicationes: siue sint

Propriæ. vide in seq. signum #

Impropriæ, quæ ab indicationibus improprijs, siue à limitātibus oriūtur. Limitantia autem dicūtur, quoniā ipsas indicationes proprias, indefinitas alioqui, definiunt & circūscribunt. Ostendi hoc potest in Euacuatione, quia sensib. ualde cōspicua est. Itaq; proposita indicatione, Alterandum esse uel Euacuandū corpus,

- Virtus, quantitatē actionis præscribit. Ad quam reliqua nouem limitantia uel mediatè uel immediatè, tanquam ad principem, referuntur.
- Temperatura calida & humida euacuatiōnem per pharmacum facilius ferre posse corpus indicat, quàm reliquæ compositæ temperaturæ.
- Habitus corporis gracilis pharmaciam uehementiorem difficulter fert: rarus ui pharmaci omnino dissoluitur.
- Accidētia ægro familiaria omnibus indicationibus aliquid addere, easq; definire possunt. Sic quidam florem caßiæ ueluti uenenum abominantur: alij eundem ueluti alimentum concoquere, absq; ulla purgatione, solent. Adde etiam, quòd symptomata, quæ cum morbo inuadūt, propter sui uehementiam sæpiùs curam ad se trahunt.
- Ætas pueritiæ & senectutis phlebotomiam non tolerant.
- Tempus anni uel nimio calore uel immodico frigore euacuationem impedit.
- Regio sicca & frigida ineptiores reddit ad purgationes.
- Aëris constitutio australis corpora humectat, & confluxilia atque conspirabilia efficit.
- Consuetudo indicat à quibus magis uel minus lædi consueuerit. Nam consueta naturæ sunt acceptiora: quamuis ab illis minus excitetur.
- Vitæ industria in fabris & balneatoribus minus tutam euacuationem fore monet, quandoquidem hæc corpora per sudores subinde expurgantur. Proinde magnam aliquam subesse causam existimandum est, quæ à natura per consuetas uias excerni non potuerit.

Dissimilares tantùm, ex quibus organicæ fiunt. Vt similarium est mixtio, ita dißimilarium est compositio, quam etiam contiguitas sequitur. Quapropter morbus communis dißimilaribus accidere potest, solutio unitatis: proprius uerò est uitiata compositio. Quæ etsi similaribus quoque conuenit, non tamen per se, hoc est, quatenus sunt similares, sed quatenus componuntur, & dißimilares fiunt. De curatione compositionis uitiatæ tractat à Cap. XLII. usque ad XLIX.

Vtrasq;, etsi non simul & eodem tempore, satis tamen est, quòd tam similares quàm dißimilares hoc genere morbi affici possunt, uidelicet solutione unitatis, ut iam dictum est. In genere solutionis conueniunt: differunt in specie, quia in similarium substantia soluitur continuitas, at in substantia dißimilarium soluitur contiguitas tantùm. Vide Cap. XXXVIII. usque ad XLII.

- **Propriæ,** tum
  - **Essentiales.** QVID sit agendum. Pro cuius intelligentia sciendũ est, intemperiẽ uarijs considerari modis, et proinde etiã indicationes uarias esse: quæ tamen omnes in quouis morbo secũdùm intemperiem complicantur, & proinde à medico singulæ perpendi debent. Intemperies ergo consideratur tum ratione
    - **Generationis,** siue ortus sui. Occurrit ergo nobis causa, non continens, quæ morbũ cõtinet, sed antecedens & procatarctica, quæ morbum fouere possunt. Intemperies ergo causas istas uel
      - **Habet** adhuc. Prius quàm morbum aggrediaris, causam remoue, alioqui morbus subinde recrudescet. Morbus fiens dicitur à barbaris: morbus quidem, propter causas cõtinentes: fiens uerò, propter præsentiam antecedentis causæ, quæ cùm sit & ipsa præter naturam, non nisi contrario suo tolli potest.
      - **Non habet** amplius. Totus igitur ad morbum auferendum incumbe, ablatis causis continentibus, siue ipsius morbi substantia. Disiunctiuè loquor, quoniã in Gal. codicibus alij αἰτίαν, alij [illegible] legunt. Vtrauis lectio causæ continenti morborum patrocinatur.
    - **Essentiæ et subsistentiæ suæ.** Est autem et subsistit per causas suas continentes: nẽpe per
      - **Formam.** Sic ergo intemperies uel est
        - **Simplex.** Simplici contrario curatio perficietur.
        - **Composita.** Contrario mixtæ facultatis erit opus.
      - **Materiam.** Omnis morbus habet materiã suam In qua, non semper tamen Ex qua. Itaq; morbus in intemperie materiam Ex qua uel
        - **Habet.** Dicitur morbus materialis. Qualiscunq; humor uel qualitate uel quãtitate sua peccet, nequit sola alteratione uinci, sed euacuari postulat.
        - **Non habet.** Dicitur morbus immaterialis. Sola alteratione, etiã absq; euacuatione, curatio perfici potest.
    - **Vtilis** indicationibus curatiuis satisfaciamus, quæ morbo cõueniunt merito causæ tam antecedẽtis quàm continentis (symptoma hîc nihil potest, nisi quando ita excreuit, ut causæ antecedenti atque fouenti simile euadat) illud est obseruandum, quòd in morbo immateriali sola alteratione egemus: at in morbo materiali etiam euacuatio requiritur, quia non pura qualitas, sed qualitas cum materia iũcta, peccat: & principia uitæ, calidum atq; humidum, impetit, quæ in spiritibus, humoribus, & solidis partibus corporis reperiuntur. Quòd si unum ex his duobus principijs uitietur, insalubritas siue morbus oritur. Læditur ergo uitæ principium uel
      - **Materiale.** Vide in seq. signum ✻
      - **Formal:** CALOR uidelicet, quando uel intenditur uel remittitur, siue in toto, siue in parte. Alteratione sola curatur, quæ fit per applicationem contrarij in eodẽ gradu, nisi limitantia coindicationibus suis contrarij gradũ augeant. Quod Galenus duplici exemplo indicat, quomodo scilicet profundior situs membri, medicamentorũ gradum intendat.
  - **Accidentales,** nempe
    - QVANTVM sit agendum, indicat morbi quantitas. Refrigeratũ quinque gradibus, totidem calidis reducetur.
    - QVOMODO, seu quo instrumento, indicat morbi qualitas, causarum uarietas, corporis situs, &c.
    - QVANDO, indicat morbi tempus tum uniuersale tum particulare.
    - VBI, indicat locus affectus.

- ❖ **Materiale, HVMOR** *scilicet, quo ueluti pabulo calor nutritur: atque idcirco ferè semper uitiatũ humorem caloris quoque mutatio concomitatur. Porrò uitiatus humor*
  - **Primò** *quidem. Correctionem postulat, quam medici cõcoctionem uocant. Quæ pro humoris diuersitate uaria est. Humor enim uel*
    - **Non omnino**, *sed aliqua tantùm ex parte uitiatus est. Correctio erit, separatio boni à malo: quæ quidem propriißimè concoctio dicitur.*
    - **Omnino** *malus est, nec corpori usum aliquem præstare potest. Qui quidem rursus uel eductioni*
      - **Repugnat**, *quia uiscidus est & crassus. Corrigetur & concoquetur per incidentia, detergentia, attenuantia.*
      - **Non repugnat**, *sua tamen qualitate acri uias, per quas excerni debet, læderet: qualis est humor biliosus. Prius ergo concoquendus est, id est, alterandus, per ea quæ acrimoniam illius poßint retundere.*
  - **Secundò**, *Eductionẽ requirit, postquam concoctus fuerit, aut etiam interdum ante concoctionẽ, modò oportunis id moliamur instrumentis. Eductio ista motus est. In quo uis motu tria considerãtur. Totidẽ ergo hîc quoq; uidelicet*
    - **Mouens** *ipsum. In quo quidem ratio habenda est tum*
      - **Efficientis**. *Itaq;*
        - **Natura** *sese expurgat*
          - **Criticè**, *quando uincit morbum.*
          - **Symptomaticè**, *quando uincitur à morbo.*
        - **Medicus** *ueluti minister, naturæ rectè agentis motum obseruat & imitatur: eandem uerò aberrantem dirigit.*
      - **Instrumentorum**. *Quorum magna est uarietas. Tamẽ ὡς καθόλου εἰπεῖν, aliud euacuãdi instrumentum est*
        - **Princeps**. *Sic sunt duo:*
          - **Chirurgicum**, *quod uenas aperit uel scalpello, uel sanguisugis. Κένωσις siue euacuatio κατ᾽ ἀρχὴν dicitur.*
          - φαρμακευτικόν, *quod pharmaco educit humores. Purgatio propriè dicitur,* ἀποκάθαρσις.
        - **Non princeps**, *sed ueluti uicarium principis. Vt cucurbitulæ tam scarificatæ quàm non scarificatæ, frictiones, ligaturæ, sudores.*
    - **Mobile**. *Quod comprehendit tum materiam*
      - **In qua**, *siue membrum quod euacuandum est. Nam uel*
        - **Totum**. *Quocunque genere instrumenti potest perfici, phlebotomia, pharmaco, sudore, hæmorrhoidibus, utero, &c.*
        - **Pars**. *Sic pro situ & uarietate partiũ etiam uaria sunt genera euacuationum. Nam Stomachus per aluum & uomitum: Cerebrum per palatum, nares, oculos: Pulmo per tußim: Renes & uesica per urinam: Vterus per clysteres & pessos: Intestina per clysteres, balanos, emplastra, & quæcunque per os sumuntur.*
      - **Ex qua**, *siue id quod euacuatur. Nã, uerbi gratia, in*
        - **Phlebotomia**, *alia euacuatio est*
          - **Euentatiua**.
          - **Euacuatiua**.
        - **Pharmacia**, *alia purgatio dicitur*
          - **Eradicatiua**, *quando tota materia educitur.*
          - **Minoratiua**, *& lenitiua etiam, quando pars tantùm materiæ aufertur.*
    - **Motus** *ipse, seu fluxus eius materiæ quæ euacuatur. Duo sunt termini locales, `A quo, & Ad quem. Terminus `A quo, euacuationem patitur: terminus Ad quem, distinguit euacuationes. Nam termino `A quo, certo existente, terminus Ad quem uel est*
      - **Incertus**. REPVLSIO. *Incipit à termino `A quo, & repellit materiã in quemuis locum.*
      - **Certus**: *atq; is rursus uel est*
        - **Oppositus** *termino `A quo,* REVVLSIO *dicitur.*
        - **Non oppositus**, *sed è directo & propinquo.* DIVERSIO *appellatur.*

CAPVT XXXVIII. DE CAVSIS EFFECTRICIBVS CVRATIVIS morbi simplicis ex solutione unitatis in parte CARNOSA.

Antequam species solutæ unitatis explicemus, prius generalem earundem diuisionem instituamus. VNITAS *igitur cõmunis est partibus similaribus & dißimilaribus. Quare etiam eiusdem solutio. Quæ quia præter naturam est, curari postulat. Curatio fit per unionem. Vnio multis efficitur modis, pro partium diuersitate. Qui quidem modi per debita instrumenta fiunt, eaq; potißimum chirurgica: & causæ efficientes salubres à Medicis appellantur. Porrò in curatione solutæ unitatis molienda illud est inprimis considerandum (quemadmodũ etiam in quouis alio morbo) utrum in parte affecta solutio unitatis sit*

- **Simplex,** *& cum nullo alio morbo, uel in intemperie, uel in uitiata compositione, coniuncta. Et quamuis actu uix, aut certè raro, simplicißima continui solutio contingat, Gal. tamen distinctioris doctrinæ gratia, simplicis morbi curatiuas intentiones proponit. Hoc sumpto initio: quòd unitas partium duplex est, quia partes quoq; duplices, & consequenter etiam unitatis solutio est duplex. Aliæ siquidem partes sunt*
  - **Dissimilares,** *quæ ex similaribus uarijs per iuxtapositionem componuntur. In istis ergo si contiguitas soluitur, prima intentio unitatis, Conglutinatio scilicet, siue coalitus partium, impoßibilis est, inquit Gal. quia cùm partes sint dißimiles, nequeunt propter dissimilitudinem coalescere, sed aliquo poro seu callo medio egent, qui ueluti uinculum intercedat, ut Appositio tantùm siue Alligatio fiat (hæc enim est secunda intentio unitatis) non autem uera unio seu continuatio, quæ non nisi per terminum communem, qui extrema partium coniungit, & unum siue continuum facit, fieri potest. Sic etiam in partibus spermaticis similaribus conglutinatio fieri nequit; sed alligatio tantum. Et de dißimilarium quidem solutæ unitatis curatione nihil hîc Gal. quoniam ex similarium curatione, quæ iam traditur, facilè potest deduci;*
  - **Similares,** *quæ ex elementis, seu ex semine & menstruo, ueluti materia proxima, per ueram mixtionem sunt compositæ & continuatæ. Differũt igitur ratione materiæ, atque etiam curandi modo. Soluitur enim continuitas, quæ per unionem restituenda est. Verùm ista unio, propriè sumpta pro uera continuatione, nõ in omnibus partibus est poßibilis. Quandoquidem aliæ partes similares ortæ sunt ex*
    - **Sanguine menstruo,** *Caro uidelicet & Musculi. In his unio est poßibilis, quia carnosa substantia restitui potest suo simili. Proinde prima intentio unionis conglutinatione perficitur, & partes solutæ uerè continuantur termino communi. De qua curatione agit Gal. in hoc Cap.* XXXVIII.
    - **Semine.** *In his si continuum soluatur, unio uera per cõglutinationem est impoßibilis, quia nequeunt simili materia refici: sed fit tantùm cõsutio quædam per callũ. Quæ secunda est intentio unionis, siue unio impropriè sumpta. Porrò seminalium partium aliæ sunt*
      - **Duræ,** *ut Ossa. De quorum solutione Capite* XXXIX.
      - **Molles:** *ut, Neruus, Membrana, Vena. De quorũ curatione Cap.* XL.
- **Composita** *cum alio morbo uel in intemperie, uel in cõpositione. Cuius curatio quia ex præcedentibus pendet (nam compositus morbus ex simplicibus, etiam compositas habet indicationes curandi) ideo satis fuit Gal. in unico exemplo nos exercere, quomodo scilicet Vlcera curanda sint. Cap.* XLI.

Post *dispositionis generalis explicationem, quam Gal. in curanda soluta unitate statim ab initio huius cap. paucis uerbis perstrinxit, ad species solutæ unitatis deuenimus. Quæ quidem omnes in eo cõueniunt, quòd unitas soluta sit: differũt tantùm ratione materiæ subiectæ, in qua contingunt. Inprimis autem* SIMPLICEM *unitatis solutionem aggreditur Gal. non quæ in dissimilaribus, sed quæ in similaribus partibus reperitur: atq; in illis non quibuslibet, sed in ijs solis quæ ex sanguine ortum habent, uidelicet in ipsa Carne. Itaq; quãdo caro patitur continui solutionem, consideranda sunt duo: uidelicet*

- **Species** *continui soluti. Soluitur enim continuum in carne, quando partes quæ coniunctæ esse debebãt disiunguntur, siue disiungantur per*
  - **Compressionem** *uiolentam, quoniam partes arctiùs coëunt quam natura partis requirat. Etsi enim partes sunt unitæ & continuatæ termino communi, habent tamen spacia intermedia humoribus secundis repleta: quæ quidem spacia expressis humoribus & uiolenter elisis coëunt, atque speciem illam solutæ continuitatis efficiunt, quam* CONTVSIONEM *nominant.*
  - **Diuisionem** *& separationem partium à se inuicem. Generali nomine* V V L N V S *dicitur. Sub cuius ambitu omnes species cõprehenduntur, quæ in carne uel incidendo, uel frangendo, uel disrumpendo continuas partes diuidunt. Conueniunt enim in genere, differunt tantùm ratione instrumenti, quod uario modo continuum soluit.*
- **Curatio** *eiusdem, quæ partim à natura, partim à medico, partim ab utrisq; perficitur. Verùm quia singulas species continui soluti in carne operosum esset persequi, ideo Gal. nos in solo* VVLNERE *propriè dicto exercet. Est autem uulnus propriè dictum, solutio continui in carnosis partibus, recens, cruenta, sine putrefactione, extrinsecus aduenienes. Eliciendæ ergo primò sunt intentiones curatiuæ (Medicus enim naturæ minister est, & quid agere oporteat, ratione inuestigat) deinde quibus instrumentis, ueluti causis curatiuis, intentionibus nostris satisfaciamus, uidendũ. Vbi quidem not. quòd hîc & in seq. passim, Gal. intẽtiones tantùm curatiuas proponit: instrumenta ex libris generalium & localiũ pharmacorum depromẽda subticet, breuitatis ergô. Intentiones ergo curatiuas uulneris, quas Gal. hîc enumerat tantùm, & ordine inuentionis potiùs quàm dignitatis (quam seruant in ipsa actione seu operis chirurgici aggreßione) illas disponit, nos ad fontes suos reducamus, hoc supposito: Quòd in ista actione seu curatione molienda, obseruare debemus tum*
  - **Quid** *fieri debeat. Vide in seq. signum* †
  - **An fieri** *poßit, hoc est, an nihil sit, quod uel unioni uel tẽperaturæ partis officiat. Hinc ergo iã tertia intentio à Gal. proponitur, Remouere omnia impedientia: siue prohibeant, ne unio*
    - **Omnino** *fiat: ut ea quæ ante factam unionem aut etiam post quàm iam facta est, labijs uulnerum intercidere possunt, pili, sordes, tela, oleum, &c. Priùs remouenda sunt, aut etiam pòst eximenda, instrumentis oportunis: dilatando quoque uulnus, si opus fuerit.*
    - **Bene** *fiat: ut omnia ea quæ post factam unionem superuenire possunt symptomata, tam in toto, quàm in parte uulnerata, siue à principio statim, siue pòst comitetur, ex affluxu nimirum alicuius humoris, quem natura ad partem uulneratam expellit, uel econtrà à parte uulnerata in reliquum corpus & ad partem aliquam principem propellit. Hinc dolor, phlegmone, febris, pruritus, conuulsio, paralysis, syncope, delirium, durities & impotentia membri uulnerati. Nisi enim symptomata ista priùs abigantur, uulnus rectè curari nequit. Abigũtur autem triplici instrumento, diæta, pharmacia, chirurgia, uel omnibus simul, uel certè aliquibus. Symptomatum porrò hanc remotionem recentiores chirurgi pro Quinta intentione curatiua ponũt. Gal. illam omisit, quia si uulneri hæc symptomata coniungantur, non simplex, sed compositum erit: at hîc simplices tantùm simplicis uulneris intentiones inuestigare proposuit. Nos illam sub tertia intentione comprehendere uoluimus, ne quid desiderari à quouis posset.*

† **Quid** *fieri debeat. Quod ex natura partis affectæ elicitemus, quæ similaris est, & prima mixtione ex quatuor elementis composita. Quare habet in se ratione*

Materiæ, *unitatem seu continuitatẽ. Hæc soluta est: quare denuo colliganda. Contraria enim contrarijs curantur. Sic ergo iam duæ intentiones curatiuæ se offerunt. Nam unio*

Soluta *reficienda est. Prima ergo hæc est intentio (ordine naturæ, dignitatis, & inuẽtionis: quamuis ordine quem in actione chirurgus obseruat, sæpe loco suo excidat, & tertia intentio prima fiat) Commißio scilicet dißidentium, seu coniunctio distantium partium per labiorum uulneris contractionem. Quæ quidem, si uulnus sit paruum, perficitur sola fascia orbiculatim circundata: sin magnum, modò suturis, modò fibulis opus est, impositis simul glutinatorijs remedijs. Huc etiam puluilli possunt referri. Facta hac coniunctione labiorum à Medico, natura ipsa per se coalitum & conglutinationem molitur, expelliq́; per pus ea quæ obstant. In actione enim chirurgica manifestè mutua opera chirurgi & naturæ conspicitur: in reliquis duobus instrumentis, in diæta uidelicet & pharmacia, non item. Quamuis enim cibum medicus offert, & medicamenta uel exterius uel interius administrat, tamen sensui nondũ patet, quid nam in corpore effecerit: deinde etiam cibus & pharmaca non prius in corpus agunt, quàm à calore corporis patiantur, cõcoquantur, et in actum deducantur, ut proinde non purè agentes sint causæ, sed patientes quoq́;, & prima sui ratione opus habeant naturæ auxilio. At chirurgica actio prima sui ratione naturæ auxilio non eget, sed tunc tãdem, quando effectũ suum præstitit, ut puta coniunctionem labiorum, restitutionẽ oßis, &c. Effectũ autem suum sensibus conspiciendum exhibet, & hac de causa certitudinem maiorem habet quàm pharmacia aut diæta. Merito igitur* [illegible] *sola chirurgia agere, & manu operari dicitur.*

Facta *est conseruanda. Quæ secunda est intentio. Conseruatur autem, si tantisper labia uulneris coniuncta seruentur arte, donec natura cõglutinauerit. Terminus huius cõglutinationis incertus est, pro diuersitate partium, temperaturarũ, regionum, constitutionis anni & aëris, omnium denique causarum tam externarum quàm internarum, quæ morbum uel fouere uel augere possunt. Iisdem instrumentis perficitur, quibus & colligatio facta est: nempe decenti ligatione, apposito membri situ, et suturis, si necessariæ uidebuntur.*

Formæ, *temperaturam, per quam omnes suas actiones obit. Cùm ergo ex solutione unitatis temperatura quoq́; partis poßit labefactari, atque etiam ex applicatione remediorum, insurgit quarta intentio (iuxta Galeni ordinem & enumerationem) ut particulæ læsæ substantia, siue temperatura partis affectæ conseruetur, per quam ulteriùs quoq́; poßit uiuentis opera exercere. Quod quidem fiet, si præcaueamus, ne per affluxum humorũ particula corrumpatur: quandoquidem natura copiosum alimentũ, cum spiritu & calore, ad particulam læsam confertim trãsmittit. Instrumenta ferè eadem sunt cum ijs, quibus symptomata remouebantur. Eadem igitur methodo inuestigari possunt atq́; debent, qua causæ præseruantes. Præseruatio omnis id agit, ut naturam partis incolumem conseruet. Quod ut fiat, causas iam præsentes, quæ morbum minitantur, remouere studet. Quare cùm nos quoq́; partis temperiem cõseruare, seu potius præseruare uelimus, causas propediem morbificas futuras amoliamur. Solutio adest unitatis, tãquam morbus: adest humorum affluxus, tanquam causa antecedens, quæ tumorem, inflãmationem, &c. facere posset, per quas partis temperies corrumperetur. Vnitatis quidem solutio quamuis partis temperaturã debilitarit (id quod ex pure potißimum colligere licet) non tamen eãdem omnino corrupit aut aboleuit: quare cùm non uehementer urgeat, sensim per cõsolidationem poterit & morbus ipse corrigi, & symptoma actionis debilitatæ remoueri. Humorũ uerò affluxus, in corpore præsertim plethorico & cacochymo, temperaturã partis corrumpere, interdum etiam in uniuersum abolere potest. Prohibendus ergo. Prohibebitur autem, sublata causa ipsius affluxionis. Affluunt humores uel attracti, uel transmißi siue expulsi. Attrahũtur primùm à dolore, deinde etiam à calore membri. Videtur enim membrũ dolens nihil aliud quærere, quàm naturæ auxilium: natura igitur, quæ bruta est, copiosos eò spiritus transmittens, non modò nihil prodest, uerum etiam obest. Calor quòd attrahat, rerum naturaliũ studiosis compertißimum est. Transmittuntur uerò humores ad partem affectam tanquã debilem naturã suã (præter id, quòd uel dolore uel calore infestata particula occasionem dare potest maiorem præcipitationi humorum) si totum corpus plethoricũ sit, aut cacochymũ. Quòd si ergo affluxionis causam impedire & auferre uolumus, id agamus: primùm, ut dolorem partis mitigemus, ut calorem partis restinguamus, ne humores attrahantur: secundò, ut plenitudinem tollamus, ut uitiosos humores purgemus, ne humores transmittantur. Hac ratione fiet, ut cùm nullum terminum habeat humor, nec à quo fluat, nec ad quem fluat, fluxio omnino tollatur, & proinde partis temperatura conseruetur, siue præseruetur. Quod quidem Gal. breuiter sic administrare iubet, ut refrigerantibus primò utamur, lenibus tamen, nimirũ oui candido: uino styptico, & leni sua adstrictione roborante, particulam perfundamus: figura aptißima & decenti situ membrum collocemus: interdum quoq́; apertionem ex aduerso in parte uulnerata moliamur, ne sanies in alio conclusa latens temperiem partis corrumpat. Verùm de his ex professo aliàs.*

CAPVT XXXIX. DE CAVSIS CVRATIVIS MORBI SIMPLICIS ex soluta unitate in parte spermatica dura, uidelicet in OSSE.

SOLVITVR unitas siue continuitas etiam in OSSE, diuersimodè tamen. Accidit enim oßi uel ut est pars

Organica, *siue quatenus duo oßa inter se per articulum coniuncta organum motus constituunt. Quando ergo uel externa ui, uel ab interno aliquo mucore oßa ex sede sua & mutua cõmißione dimouentur, uocatur* LVXATIO. *De qua Gal. infrà in morbo compositionis iuxta situm aget. Etenim pro uario respectu idem effectus sub diuersa morborum genera referri potest: fit tamen interim denominatio ferè semper à potiori noxa, quæ aliàs alia est. Porrò luxationis intentiones curatiuæ hæ sunt. Prima, luxati articuli in naturalem sedem reductio. Secunda, conseruatio articuli in sua sede, ne amplius excidat. Tertia, symptomatum correctiõ, quæ impediũt scopos prædictos, siue ante repositionem oßis, siue post repositionem accidant. Et his quidem intentionibus satisfit eadem ferò ratione, qua Fractis oßibus: quemadmodum etiam fontes harum intentionum ijdem sunt; nimirum Quid fieri debeat, & An fieri poßit.*

Similaris. *Sic affectus illius præcipuus & maioris momenti est* κάταγμα, FRACTVRA: *cuius uariæ differentiæ aßignantur, ratione figuræ: quoniã franguntur oßa* καυληδὸν, ῥαφανηδὸν, ἀλφιτηδὸν, κατ' ἀπόθραυσιν, *&c. Intelligimus autem hìc simplicẽ fracturã, & cum nullo alio morbo, ut cum uulnere aut tumore, coniunctam. Quæ etsi rarò reperitur (magna enim ex parte musculi adiacẽtes oßibus fractis compatiũtur) tamen clarioris doctrinæ gratia simplicis fracturæ simplices intentiones Gal. proponit (neque tamen omnes, sed præcipuas tãtùm: reliquas, utpote communes cum uulneribus, breuitatis causa omittit) ex quibus compositæ quoq; intẽtiones morbi compositi facili negotio deduci possunt. Reducuntur autem intentiones istæ ad duo summa capita: nimirũ ut sciamus, in fracto osse*

Quid *sit agendum. Hoc ex natura partis affectæ intelligem⁹. Os enim ut pars est similaris, ratione*

Materiæ *patitur fracturam, per quam unitas soluitur. Necesse ergo est, ut unitas*

Soluta *reficiatur. Quæ prima est intẽtio, quãuis Gal. illam uerbis non exprimat. Cõsistit autem in duobus, ut etiã duo sunt efficientes, uidelicet*

Medicus, *ueluti minister* καὶ ὑπηρέτης *ipsius naturæ. Id ergo quod natura per se facere nequit, Medicus efficit: quoniam primò fracti oßis partes rectè committit, & in naturalem situm coaptat.*

Natura, *quæ oßa fracta rursus cõiungit, facta commißione à Medico. Cõiunctio autem ista et unio fit à natura per intẽtionem (ut uocant medici) uel*

Primam, *nempe per Conglutinationem & similis substãtiæ coalitum. Hæc in oßibus tenerrimis puerorum fortaße locum haberet, in quibus etiam cartilagines tandem progressu ætatis in oßa coalescũt: at in duris & ætate prouectis est impoßibilis.*

Secundam, *nempe per Alligationem, quæ fit callo supernato, qui fractas partes instar uinculi medius ferruminat. Ex oßis quidem alimẽto oritur, & oßis substantiæ similis est, non tamen idem planè.*

Facta *conseruetur. Quæ secunda est intentio. Os fractum propter duritiem, siccitatem & paucitatem alimenti difficulter unitur. Quare ne dilabãtur denuo partes cõmißæ, oportet perfractum membrum prorsus immobile consistere. Quod quidem præstabitur deligatura oportuna per fascias & ferulas, quæ consentiat adamussim cum rectißima figura membri, quam ei natura indidit. Tãtisper deligatura hæc seruetur, donec natura callum induxerit firmißimum.*

Formæ, *temperaturam habet, quæ conseruanda erit, ne os cariem patiatur. Quarta hæc est intentio, à Gal. breuitatis causa omißa. Fit autem ijsdem instrumentis, quibus & symptomata quædam profligantur.*

An poßimus *satisfacere intentionibus iam expositis. Hæc est tertia intentio, Remouere impedimẽtia, quæ uel prohibẽt ne coalitus oßiũ*

Omnino *fiat, ut ea quæ intercidunt partibus oßis coniungendis, saxa, arenæ, ramenta oßis fracti, &c. quæ nisi eximantur statim à principio, punctione sua dolores intolerabiles excitant. Siquidem os maiore cum periculo abscedit, quàm caro. Et quamuis hæc intentio inuentione est tertia, in actione tamen manuali seu in ipso opere prima est.*

Bene *fiat, qualia sunt symptomata, quæ particulæ affectæ accidunt, inflammatio, pruritus, immoderata siccitas aut humiditas callo gignendo obstans, gangræna, durities, pori magnitudo uel excedens uel deficiens. Porus enim ex uictus cõmoda ratione oritur. Siquidem ex oßis proprij alimenti superfluitate à natura generatur: obseruata quãtitate, qualitate, & tempore administrationis debito. Porrò quia symptomata ista ex simplici fractura compositam faciunt, ideo à Gal. qui simplices tantùm intentiones tractat, omittuntur. Recentiores pro quinta intentione posuerunt. Nos sub tertia uoluimus complecti.*

CAPVT XL. DE CAVSIS CVRATIVIS MORBI SIMPLICIS EX soluta unitate in parte spermatica molli, in NERVO scilicet & TENDINE.

SPERMATICAE partes molliores uariæ sunt, proinde etiam uarias solutæ unitatis species habent. In cute quidem Excoriatio, Attritio, Scarificatio. In uenis & arterijs Collisio siue cõtusio, ἀναστόμωσις, διαπήδησις, ἀνάβρωσις. In neruis & tendinibus, cæsim factum Vulnus, Cõuulsio siue Distensio, Contusio, Punctura. Et cæteræ quidem continui solutiones harum partiũ nihil peculiare uidentur habere, in quo differant ab intentionibus reliquarum partium, quæ cõtinui solutionem patiuntur: punctura uerò in NERVO & CHORDA periculosius affectus est, cuius solius intentiones curatiuas Galenus hoc in loco κατ' ἐξοχὴν & breuitatis studio elicit: neq; tamen omnes, sed præcipuas tantùm, tertiam uidelicet & quartam, sine quibus reliquæ non possunt perfici. Nos ex rei natura istas deducamus. Quòd si ergo uulneratus sit neruus uel tendo punctim, uidere debet medicus tum

- **Quid** *fieri debeat. Quod quidem cognoscet ex natura partis. Siquidem ratione*
  - **Materiæ,** *unitas soluta est reficienda. Duplex hic insurgit intentio. Nam unio*
    - **Facienda** *est per applicationem consolidantium, quæ neruis amica sint, ut porus inducatur. Quandoquidem conglutinatio per primam intentionem fieri nequit. Applicat autem medicus medicamenta oportuna, donec natura consolidationem perfecerit. Hæc ergo est prima intentio curatiua, ordine inuentionis.*
    - **Facta** *conseruanda est. Cùm solutio sit exigua, nihil ferè hac secunda intentione opus erit, modò debita facta sit unio.*
  - **Formæ,** *temperatura particulæ summa diligentia erit custodienda, per commodam uictus rationem, per phlebotomiam, per medicamenta, quæ tenui sua substantia usque ad imum offensi nerui penetrent, quæ leuiter exiccent, in actiuis autem qualitatibus temperata sint: nam frigida quæuis & mordacia neruis sunt inimica. Hæc quarta est intentio, eo ordine, quem Gal. statim ab initio in uulneribus proposuit.*
- **An satisfieri** *posit intentionibus prædictis. Tertia igitur intentio hic occurrit, ut remoueantur omnia impedientia, tum*
  - **Ante** *unionem seu consolidationem: quæ uel*
    - **Vnionem** *fieri prohibeant: ut externa, telum, acus, &c. ut interna, sanies scilicet. Quæ ut poßint commodiùs educi, interdum labia uulneris dilatanda sunt, & diu apertum seruandum ulcus, ut uirus omne exhalare poßit.*
    - **Vitæ** *periculum afferant, propter affectæ particulæ dignitatem, quoniam cerebro affectio promptißimè communicatur. Symptomatibus ergo grauioribus obuiam eundum, dolori, conuulsioni, phlegmoni, &c. quæ neglecto morbo curam medici ad se trahunt.*
  - **Post unionem** *incidentia symptomata, quæ aut nulla sunt, aut certè non ratione nerui, sed uulneris dilatati acciderunt. Nam rectè curato neruo, & morbo sublato, etiam symptomata tolluntur. Nisi fortè debilitas & impotentia, aut etiam stupor membrum occupet, eo quia spiritus & facultas nequit amplius liberè per densum callum penetrare.*

CAPVT XLI. DE CAVSIS EFFECTRICIBVS CVRATIVIS MORbi compositi ex solutione unitatis & compositione uitiata, hoc est, ipsius VLCERIS.

QVAMVIS ex simplicium morborum curatione, compositorū quoq; curatio elici possit: tamen Gal. in uno exemplo nos exercere uoluit, nempe in ulcere. Pro cuius declaratione illud imprimis est obseruādum, quòd compositæ continui solutiones uariæ sunt. Quoniā solutio unitatis coniungitur cū alio morbo, qui uel est generis

Diuersi. Sic cum solutione continui iungi potest morbus uel in

Euisdem, hoc est, coniungitur cum alia quapiam continui solutione, siue in parte spermatica, siue in parte sanguinea. Et hæc quidem morborum compositio in partibus dissimilaribus tantùm accidit. Nam cùm pars dissimilaris ex uarijs similaribus componatur, si similares uel omnes uel præcipuæ lædantur, composita iam solutio continui emerget: uerbi gratia, si unà uulneretur caro, frangatur os, neruus pungatur, uena dissecetur. Verum de hoc morbi genere nihil in præsentia Galenus, breuitatis studio.

Intemperie, utputa inflammatio. Quæ etsi per se morbus est, tamen si referatur ad solutionem unitatis, à qua pendet, symptoma esse uidebitur: & proinde sæpe fallimur, ut morbum cōpositum simplicem esse credamus.

Compositione. Cuius uariæ sunt species. Gal. in unica coniugatione nos exercet, in VLCERE scilicet. Quod cōpositus est morbus, ex solutione continuæ carnis purulenta, & ex cauitate seu substātiæ iactura: non autem simplicis morbi species, nēpe uulneris, ut quidam sunt arbitrati, qui cauum uulnus esse definierunt. Porrò pro curatione ulceris, curatiuas intētiones primùm eliciamus, ut sciamus

Quid agendum sit. Hoc indicabit nobis partis affectæ tum

Materia. Quæ in hoc morbo duplici iniuria affecta est: partim quia

Ablata est substantia carnis, per cauitatem: qui morbus est in cōpositione. Cauitas ista siue substantiæ iactura, pleno resarcienda est, & noua caro regeneranda per sacrotica. Hæc intentio præcedit ipsam unionem: nisi enim id quod ablatum est restituatur, unio labiorum nunquam fiet.

Soluta est unitas partium. Vnio igitur molienda per conglutinationem. Tantisper ergo carnem succrescere patiemur, donec cauum fuerit repletū, & ad æqualitatem perductum. Neq; uerò tunc alia unione erit opus, cùm per generationem carnis sit perfecta: sed ne ulteriùs caro excrescat (quoniam hoc non esset amplius naturale) obductione cutis, aut carnosi alicuius calli, qui cuti proportione respondeat, ulcus erit curandum, & cicatrix inducenda per epulotica, quæ exiccent, & sine mordacitate adstringant.

Forma. Temperies partis restituenda est. Quòd autem labefactata sit, indicat nobis pus, quod semper copiosum fluit: præter id, quòd ut plurimùm alia quoq; symptomata iungi consueuerunt. Itaq; maior hîc requiritur siccatio, quàm in uulneribus, atque etiam roborantium frequenter usus esse debet.

An intentionibus curatiuis satisfacere possimus, utrū quid impediat nécne. Impedire ergo possunt curationem istam tum

Causæ. Nam quia ulcus est sordidum & purulentum (ut solutionem ipsam, quæ ab externo interdū principio fit, sæpius ab interno, nunc taceamus) necessariū est quòd habeat causam internam uel generātem, uel certè fouentem, siue ea sit morbus p se, siue symptoma. Causa ergo ista antecedēs, utpote humorum multitudo aut corruptio, auferenda est quouis instrumenti genere, ne ad locum affectum amplius fluant, aut certè ab eodem diuertantur & reuellantur. Quòd si ergo causa ista fouens siue affectus fuerit

Magnus, ulcus curari nō poterit, nisi prius causa auferatur, hoc est, affectus iste curetur.

Paruus, alterutrum horū erit faciendū: nempe aut tollēdus, quod securius erit: aut si relinquere illū cogatur medic9, prouideat ne amplius nocere & ulcus fouere possit.

Symptomata uaria: siue

Exteriùs incidant, quæ carnis generationem & conglutinationem prohibent.

Interiùs oboriantur: ut discrasia, attritio, tumor, contusio, carnis excrescentia, labiorū durities & decoloratio, uarices, uermes, pus copiosum, corrosio, sinus, fistula, &c. A quibus ulcerum differentiæ sumuntur, & intentiones curatiuæ eliciuntur, certisq; indicationibus circumscribuntur. Verumenimuero quando symptomata ista excrescūt, causæ fouentis rationem subeunt, & medici curam ad se trahunt: neque enim ulcus priùs curari potest, quàm symptoma hoc aut sublatū aut mitigatum fuerit. Quanto autem plura symptomata ulceri coniungentur, tanto quoq; morbum magis compositum reddent.

CAPUT XLII. DE CAUSIS CURATIVIS MORBORUM SIMPLIcium in Compositione. Et primùm de morbo simplici secundùm CONFORMATIONEM.

POST *curationem solutæ unitatis, succedunt morbi in compositione uitiata, quæ partium dissimilarium propria est. Quamuis enim uitiata compositio etiam in similaribus partibus reperitur, uerbi gratia, quantitas musculi maior quàm naturalis membri functio requirat, aut numerus adauctus (quod in anatomicis administrationibus sæpissime uidere contingit) illis tamen accidit, non quatenus sunt partes similares, sed quatenus dissimilarium particulæ existunt. Verum cùm uariæ sint compositionis differentiæ, primùm de ijs morbis agamus, qui* CONFORMATIONEM *uitiant. Hæc autem in numero, situ, magnitudine, potissimùm uerò in figura posita est. Quare supposito, membri alicuius conformationem, secundùm solam figuram, esse uitiatam, quinque indicationes curatiuæ eliciendæ erunt, quas etsi Gal. ordine non enumerat, breuitatis studio, nos tamen subijciemus. Itaque*

Quid *sit agendum (quæ prima est & præcipua indicatio, cùm potestate in se reliquas omnes complectatur) indicabit morbi natura. Conformatio secundùm figuram uitiata est. Restituenda ergo, siue curanda suo contrario: hoc est, contraria figura ei, quæ nunc est, molienda erit, ut à figura non naturali in naturalem commutetur siue transferatur.*

Quantum *sit agendum, ex affectus magnitudine, & à loco affecto cognoscemus. Nam si morbus sit magnus, & in membro aliquo magni momenti, præterea si à primordijs generationis figura hæc uitiata particulæ innata fuerit, restitutionem moliri temerarium esset, & periculosum. Vt enim diligentis & humani est medici, quid agendum sit, & quibus instrumentis perfici possit curatio, considerare: ita etiam prudentis, deploratos morbos non attingere, ne medicamēta, quæ multis profuerūt, infamiæ notam apud imperitos subeant. Nam quamuis medicus non tam quid alij de ipso sentiant curare, quàm officij sui rationem habere debet: debet tamen artis quoq; honorem & dignitatem semper tueri, nec per temeritatem ea agere, ex quibus neque laudem medicina, neque æger utilitatem aliquam referre possit.*

Quomodo *seu quibus instrumentis figura uitiata corrigatur, ars chirurgica docebit, utpote ligaturis, ferulis, puluillis, uinculis, frictionibus, &c. Etsi enim chirurgia pars reuera medicinæ est, hominum tamen ignauia, aut certè lucri studio factum est, ut à medicina separata fuerit, etiam tempore Galeni. Et separatio quidem ista ferri potest, modò ne omnino (quod nostro ferè seculo euenire uidemus) chirurgia experientiam sequatur, spreta ratione, sed medici uelut imperatoris iussa exequatur.*

Vbi *sit agendum, locus affectus indicabit, qui sensui oculorum subijcitur. Atque hoc ipso chirurgicæ operæ præstant actionibus medicorum reliquis, quòd chirurgus locum affectum ipso sensu assequitur: medicus physicus (ut uulgò nominant) interiùs latentem probabili coniectura tantùm inuestigare cogitur.*

Quandò *prædictis indicationibus satisfacere debeamus uel possimus, Gal. in præsentia docet. Quoniam membri figura uitiata est uel*

- **À primordijs** *generationis. Huiusmodi ergo uitium*
  - **Ante** *augmenti finem, cùm corpora adhuc crescunt, emendari potest in aliquibus partibus, non in omnibus. Verbi gratia, uari quidam aut ualgi.*
  - **Post** *augmentum corrigi nequit, quia iam obdurauerunt membra.*
- **Post** *generationem, à causa aliqua uel interna uel externa. Vitium est aduentitium, quare etiam emendabile est. Verbi gratia, quando os fractum, chirurgi incuria malè coaluit, ita ut figura sit uitiata & intorta. Quòd si ergo callus obductus fuerit*
  - **Recens,** *corrigi potest, si os denuò perfringatur, & tum demum per conuenientis calli superinductionem curetur.*
  - **Antiquus** *& inueteratus, morbus est desperatus.*

CAPVT XLIII. DE CAVSIS CVRATIVIS MORBI SIMPLICIS in Compositione, secundùm uitiatam CAVITATEM uel MEATVM.

MEATVS & CAVITAS conueniunt in genere, differunt in specie. Vitiantur, quia uacuum tollitur (intelligo autem uacuũ non physicè, sed medicè.) Tollitur porrò pleno, ex materia aliqua replente. Curatur contrario, uacuante aliquo. Et sub hoc genus morbi innumeræ particularium affectuũ differẽtiæ redigi possunt. Ii quorum curatione ratio habenda est tum

- **Generationis**, *hoc est, à quibúsnam causis tam procatarcticis quàm antecedentibus oriantur. Causæ enim primùm ante omnia sunt remouendæ. Quod suprà cap. 37. multis uerbis apertè declarauimus, & cap. 45. quoque in composito morbo ostendetur.*
- **Essentiæ**, *quatenus subsistunt. Sic ergo quinq; indicationes, cõfusè à Galeno propositas, et suis coindicãtibus limitatas, perpendamus: nẽpe*
  - **Quid** *sit agendũ. Indicatio ista præcipua est, quoniam à morbi causis sumitur: atq; ad illam reliquæ quatuor indicationes ueluti famulæ referuntur. Deducitur ergo tum à morbi*
    - **Materia.** *Cauitas enim necessariò à materia aliqua obstruitur aut repletur. Qualiscunq; ea fuerit, auferẽda est, ut ad naturalem habitum pars affecta redeat. Hoc fiet, si id quod additum est, remoueatur à loco cui additum est, uel per*
      - **Transpositionem** *in alium locum. Vt quando lapis ex renibus in uesicam deducitur.*
      - **Euacuationem** *& eductionem extra corpus. Vt lapis in uesica per sectionem aufertur: stercus durum intestina obstruens pharmaco leniente educitur.*
    - **Forma,** *quæ est cauitas impedita. Liberanda ergo, & denuo aperienda, siue repletio illa fuerit præter naturam*
      - **Omnino.** *Obstructio dicitur. Cui opponitur Apertio.*
      - **Non omnino,** *sed aliqua tantùm ex parte. Vocatur Angustia meatuũ, & à materia distendente Distensio. Cui opponitur Dilatatio.*
  - **Quantum** *sit agẽdum. Coindicante uirtute, natura morbi indicat. Nam materia obstruens siue replens uel est*
    - **Omnino** *præter naturam, tota sui substantia: ut pus in thorace, lapis in uesica.* — **Euacuãda** *est omnino, siue id fiat pharmaco, siue phlebotomia.*
    - **Non omnino,** *nec tota substantia præter naturam, sed tantùm uel sua*
      - **Qualitate.** *Quæ uel corrigi*
        - **Nequit.** — **Euacuãda** *est omnino, siue id fiat pharmaco, siue phlebotomia.*
        - **Potest.** *Alteranda est, & ad utilitatem corporis conuertenda.*
      - **Quantitate;** *ut in plethoria uenarum, in distensione uentriculi à nimio cibo. Abuacuanda est hæc materia. Ἀπόκενωσις. Fit autem aliàs per pharmacum, aliàs per phlebotomiam.*
  - **Quomodo,** *hoc est, per quæ instrumenta. Hoc indicabit nobis tum natura*
    - **Partis** *affectæ. Intestina euacuari possunt tum per clysteres, tum ijs quæ per os sumuntur. Vterus pessis, clysmatibus, &c.*
    - **Humoris,** *an pharmaco an phlebotomia commodiùs educi queat.*
  - **Quando.** *Tempus oportunum agendi erit, cùm nihil impediet actionem istam, nec ratione*
    - **Materiæ:** *hoc est, cum materia fuerit uel*
      - **Concocta.** *Si crassa erat, incidenda priùs: si tenax, detergenda.*
      - **Alterata.** *Sic bilis acrimonia retundenda: stercus durum emolliendum.*
    - **Viarum,** *per quas educenda est materia. Lubricandæ sunt uiæ, & si obstructæ fuerint, aperiendæ.*
  - **Vbi,** *per uias conuenientes. Quarũ oportunitas & conuenientia ex ipsa anatome depromenda est & cognoscenda. Nam*
    - **Cerebrum** *per nares & os. Interdum etiam per cauteria.*
    - **Ventriculus,** *uomitu & secessu.*
    - **Thorax & Pulmo,** *tussi: interdum quoque sectione.*
    - **Intestina,** *per secessum.*
    - **Hepar, Renes,** *per urinam.*
    - **Lien,** *per hæmorrhoides, aliquando etiam per cauterium exiccatur.*
    - **Cutis,** *per sectionem, per caustica tam actu quàm potentia, per sudores.*

CAPUT XLIIII. DE CAUSIS CURATIVIS MORBI SIMPLICIS in Compositione, ex SUPERFICIE aspera uel læui.

Qualibet pars nostri corporis, tam similaris, quàm dissimilaris, habet formam externam, cui beneficio materiæ qualitas illa, quæ in superficie cōspicitur, accidit, læuitas nimirum & asperitas. Et quamuis similaris pars suā habet superficiem, tamen superficies illa non in ea consideratur quatenus pars similaris est (uti neq; figura) sed quatenus cum alia parte similari iungitur, & partem dissimilarem siue organicam constituit. Vt igitur superficies partis dissimilaris, uel læuis uel aspera, pro membri ipsius usu, à natura primùm conformata est: ita quoq; uitiatur & præter naturam efficitur superficies ista, quia uel mutatur naturalis illius

Læuitas, *ab ijs, quæ asperitatē inuehere possunt. Curatiuæ eliciendæ sunt indicationes, ut sciamus tum*

Quid *sit agendum. Indicat nobis morbi natura, id quod exasperatum est, esse denuò leuigandum.*

Quomodo *seu quibus instrumētis curatio sit aggredienda. Hoc nobis ostendet particula affecta. Nam uerbi gratia*

Os, *quod ex uulnere aut fractura inæquale est redditum, abradendum erit. Inæqualitas enim ista superficiei, solutionem continui indicat, & quòd partes, quæ prius unitæ erant, disiunctæ fuerint, innuit. Abscedent ergo, & tanquam inutiles, à natura expellentur. Verùm antequam hoc contingat, cariem patietur os. Quæ quia periculosissima est, & in consensum cæteras quoque partes deducit, idcirco ne os suppuretur, abrasione particulæ mortuæ erunt auferendæ. Exempli autem loco hæc allata sunt: alioqui enim ossis asperitas ex uulnere aut fractura, compositum morbi genus est, quod tamen nostri nunc non est instituti. Nos solam superficiei asperitatem hoc in loco consideramus.*

Trachæa *arteria lenienda erit humidis aliquibus, tum cibo, tum potu, tum medicamentis, quæ nihil mordeant, & lentorem habeant. Quamuis enim in pulmones nec cibus, nec potus (ut optimè contra Platonem Galenus annotauit) descendit, tamen ea quæ assumuntur per os, mora diuturniore ad thoracem quoq; defluūt. Sic post potum uini rubri, sputum quod per tussim reijcitur, leui colore rubro tinctum conspicitur. Proinde medicamenta, quæ pulmonum aut thoracis affectibus medētur, liquida plerunq; à medicis exhibentur, ut diutius in ore reseruata, sensim quoq; ad pulmones per trachæam descendant. Etsi enim per trachæam nihil corpulentū transmitti potest, quin statim per tussim reijciatur, tamen si quid sit liquidum & exiguum, in quod aër expiratus non uehementer infligatur, transire poterit, & ad pulmones usque pertingere.*

Cutis *à uarijs causis exasperantibus immutari potest, tum internis, tum externis. Ab externis quidem, ut puta ab usu thermarum aluminosarum, uel decocti alicuius adstringentis (quod sæpe mulierculis accidit.) Cutis enim ui ista externa adstringente in seipsam coit, & maior partium cutis contractio accidit, quàm natura postulabat. Itaque fit, ut per uiolentam hanc coarctationem quædam partes emineant, quædam subsideant: & proinde inæqualitatem pariunt, quæ contrario suo tollitur, ijs scilicet, quæ cutim laxare & impressam frigiditatem terrenam leuiter remittere possunt, qualia sunt oleosa omnia & pinguia. Ab internis uerò, ab humore aliquo acri & erodente, qui cuticulam exteriorem impetens, illam erodit, & ex reipsa nomen habentem morbū Impetiginem facit. Potest itidem melancholicus & adustus, aut pituitosus & salsus aliquis humor ad cutim protrudi, ut in senibus uidere licet, qui idcirco scabie frequenter laborant: præterea in ijs, qui elephantiasi tenentur. Qualiscunq; sit humor, auferendus per euacuationem, ne generetur amplius, aut certè ne ad cutim protrudatur, & inæqualitatem cuticulæ faciat. Cùm fomitem sustuleris, tunc tandem cutis asperitas per lotiones, inunctiones, fomenta, remouenda erit. Nos tamen in præsentia solam asperitatem simplicem, cum nullo alio morbo coniunctam, consideramus.*

Quantum *sit agendum, indicabit morbi ipsius magnitudo (extrema enim extremis sunt opponenda) deinde etiam loci affecti natura, prout magis uel minus læuis pars erat. Nam in quouis morbo illud est considerandum, ut naturalem corporis affectionem prius cognoscamus: qua cognita, securiùs tandem & certiùs constitutionem præter naturam, siue morbi quantitatem, deprehendemus.*

Quando *agere oporteat (quo tempore tam uniuersali ipsius morbi & ætatis, quàm particulari) indicabit morbus & membrum affectum. Verbi gratia, cruris asperitas tollenda læuigantibus. At quia hæc laxant, & particulā debilitant, fluxionibusq; oportunam reddunt, ideo administranda erunt tantùm post uniuersales purgationes totius corporis, ne impuro existente corpore humores eò magis præcipitentur atque decumbāt. Sic etiam in pueris faciliùs læuitas potest restitui, quandoquidem in illis natura (id est, naturalis facultas animæ) robustior est: & quia cutis mollior est & humidior, idcirco expeditiùs ad pristinam habitudinem reduci potest. Denique si, uerbi gratia, cutis tota exasperata sit læuigāda, ut puta balneo, frictionibus, sudoribus, &c. constat apud omnes de tempore particulari, non à cibo, sed ante cibum his præsidijs utendum esse.*

Vbi *sit agendum. Hoc sensus oculorum demonstrat, in parte scilicet affecta.*

Asperitas, *ab ijs quæ læuitatem non naturalem inducere possint. Quid sit agendū, constat: nempe asperitatem esse reuocandam. Quomodo, ijs remedijs, quæ leuiter incidant & detergant. Reliquæ indicationes ab ijsdem petantur fontibus: quos in præcedentibus iam sæpe docuimus.*

CAPVT XLV. DE CAVSIS CVRATIVIS MORBI COMPOSITI ex uitiata COMPOSITIONE, VNITATE, & TEMPERIE.

QVAMVIS nondum omnes species simplicium morborum secũdùm compositionem Gal. exposuerit: tamen quia uitiatã cauitatem seu meatum iam declarauit, cum qua uariæ aliorum morborũ species coniungi possunt, tum generis eiusdẽ (nempe in uitiata cõpositione) tum generis diuersi (nempe in intemperie, uel in soluta unitate) idcirco interijcit compositi morbi tractationem. Præsupponit ergo uitium esse secundùm compositionem, in aliquo membro, ratione angustiæ meatuum siue obstructionis alicuius, cum qua alij morbi complicari possunt. In hac morborum coniunctione duo sunt inprimis obseruanda: nimirum

- **Generatio**, *hoc est, non tantùm à quibus causis procatarcticis & antecedentibus oriatur (quod in quouis simplici morbo quoque obseruatur) uerum etiam utrum morbi complicati se mutuo*
  - **Sequantur**, *ita ut alter alterius respectu, causæ generantis aut saltem fouentis rationem subeat. Manifestum ergo est, illum qui prior est, in curatione quoque prius esse remouendum.*
  - **Non sequantur**, *neque ex se inuicem dependeant, sed ut essentia diuersi sunt, ita quoq; ortu & generatione, nisi quòd in eadem particula affecta reperiuntur. Medicus ergo aut utrunque simul, aut certè illum qui magis urget, curare conabitur.*
- **Essentia.** *In qua quidem discutienda, indicationes curatiuæ se offerẽt, quinq; numero. Quas in unico exemplo Gal. ostendit, nimirũ in uitiata cauitate alicuius particulæ ex affluxu humorum. Intentiones ergo ex natura rei eliciamus.*
  - **Quid** *sit agendum. Vide in seq. signum* ♣
  - **Quantum.** *Vide in seq. signum* △
  - **Quando** *sit agendum, duo in se continet: tum*
    - **Tempus** *morbi uel*
      - **Vniuersale.** *An in principio, augmento, statu, an in declinatione.*
      - **Particulare.** *Noctu, an interdiu: ante, an post paroxysmum, &c.*
    - **Ordinem** *administrationis. Etenim quia morbus partim fit, partim factus est, habenda est ratio tum*
      - **Totius**, *à quo fit fluxio, & in quo fomes morbi consistit. Itaque huic prima cura debetur, tanquam causæ, per euacuationem. Interim tamen uidendum, euacuari possit nécne. Prius enim humor concoqui, & uiæ præparari debent.*
      - **Partis** *affectæ, quæ morbo laborat composito. Morbus compositus uarias habet formas: tamen quia materia est una & eadem, idcirco omnes indicationes sic ordinantur, ut*
        - **Primò** *reuellatur, aut deriuetur, siue transmittatur, per phlebotomiam, cucurbitas, frictiones, ligaturas, &c. Oportuna priùs reddita materia, quæ in loco affecto continetur, per præparationem, concoctionem & alterationem.*
        - **Secundò** *repellatur per refrigerãtia & adstringentia.*
        - **Tertiò** *resoluatur per calefacientia.*
  - **Quomodo** *sit agendum, siue per quæ instrumenta, indicabit tum pars affecta, tum humoris natura. Sic hepar omni genere instrumentorum restitui potest. Cibo enim aperitur: pharmaco & phlebotomia euacuatur: exteriùs cataplasmata, fomenta, inunctiones administrari possunt. Rursus, bilis commodiùs uomitione quàm per aluum euacuatur, propter sui leuitatem: pituita facilius per secessum.*
  - **Vbi** *sit uacuatio molienda, indicat partim*
    - **Locus** *affectus. Hepar per urinam & secessum.*
    - **Humor.** *Euacuatur bilis per superiora, pituita per inferiora.*

- **Quid sit agendũ, ex morbi natura cognoſcemus. Nã ſupponimus, morbũ partim**
  - **Adhuc** *fieri, & humores affluere. Sic ergo cauſæ antecedẽti obuiam eſt eundum, ne influens, in coniunctã tranſeat. Vacuanda ergo eſt: & uel à termino*
    - **A quo** *fluit, uidelicet à toto, uel etiã à parte aliqua, uacuatio eſt molienda.* Dicitur *ſimpliciter* Euacuatio. *Verùm hîc notandum eſt, interdum à toto influere materiam, interdum à parte aliqua.* Partem *autem recipere uel uiolenter, quia materia cum impetu à membris fortioribus eò propellitur: uel ſua ſponte, tum quia debilis eſt, nec reſiſtere poteſt aut repellere materiam influentem, tum quia interdum uel dolore uel nimio calore affecta attrahit.*
    - **Ad quem** *fluit, hoc eſt, à parte affecta uacuandum eſt: quando ſcilicet materia in parte nondum eſt impacta, nec adhucdum extra uenas in ſpacia media effuſa, & in uniuerſum, adhuc antecedens eſt, nondum autem in continentem mutata.* Euacuabitur *materia iſta uel*
      - **Impulſa,** Repellẽtibus, *quæ ipſi parti affectæ applicantur.*
      - **Attracta.** *Si quidem ad oppoſitum,* Reuulſio: *ſi ad propinquum,* Deriuatio *dicitur.*
  - **Factum** *eſſe, & cauſas ſuas cõtinentes habere: nẽpe*
    - **Materiam** *quæ influxit, nec tantùm uaſa diſtendit, uerum etiam in ſpacia intermedia effuſa eſt.* Intentio *eſt, id quod influxit præter naturam, uacuatione auferre, ſiue abuacuatione potius, quia immoderatã tantùm partis repletionem aufert, non autem omnino tollit humorem peccantem.* Materia *porrò iſta in parte affecta contenta, ex illa educitur uel per*
      - **Ipſam** *partem affectam: idq; uel*
        - **Inſenſibiliter:** *per* Diſcuſsionem *ſeu* Reſolutionem.
        - **Senſibiliter:** *ut per cucurbitulas, per cauteria, per phlebotomiã.* Dicitur Euacuatio *communi nomine.*
      - **Aliam** *partẽ, uel*
        - **Oppoſitam.** Dicitur Reuulſio.
        - **Proximã.** *Eſt* Deriuatio, *ſiue ut hîc* Gal. *uocare uidetur,* Trãſmiſsio.
    - **Formam** *triplicem, ut etiam morborum tres ſunt differentiæ. Adeſt enim*
      - **Intemperies** *calida, quæ poſtulat refrigerationem.*
      - **Compoſitio** *ſeu* Cauitas *ablata aut impedita, quæ reſtituenda eſt.* Obſtructio *ergo aperientibus, anguſtia uerò meatuum, dilatantibus erit caſtiganda.* Et *hæc quidem forma morbi reliquis præponderat: atque idcirco ab iſta fit morbi denominatio, ut dicatur morbus in compoſitione potius, quàm in intemperie aut ſolutione continui.*
      - **Vnitas** *ſoluta: per effuſionem nanq; humoris diſtenſæ ſunt uenæ, & ſpacia carnis alioqui contigua diſiuncta ſunt.* Remouebitur *hîc morbus ablatione humoris effuſi.*
- **Quantum** *sit agẽdum, indicabit tum*
  - **Natura** *partis, hoc eſt loci affecti, tum*
    - **Materia** *ſiue materiale illius accidens.* Nam *particula*
      - **Laxa** *& mollis facilè euacuatur per poros apertos.*
      - **Dura** *& ſolida difficulter euacuatur, nec niſi acrioribus, & tenues partes habentibus.*
    - **Forma,** *hoc eſt, tum*
      - **Temperatura** *ipſa, quæ in quauis parte conſeruanda eſt ſimilibus, & reſtituenda contrarijs in eodem gradu.* Naturalis *igitur temperatura corporis optimè erit cognoſcenda.*
      - **Actiones.** Nam *ſi pars ſit princeps, uerbi gratia* Hepar, *in illius cura animaduertendum, ne laxantibus robur uiſceris exoluamus.* Quare *miſceantur ſemper adſtringentia & roborantia.* Verùm *quia hæc ſibijpſis uiam præcludunt, nec penetrare poſſunt, eligantur eiuſmodi adſtringentia, quæ tenuia ſint: ut nux muſcata, maſtyche, abſinthium.*
  - **Situs** loci. *Nam ſi fuerit*
    - **Profundus,** *quia medicamentorum, quæ exteriùs applicantur, uis prius exoluitur, quàm penetrare poſsit, doſis medicamenti, aut certè facultas, intendenda eſt.* Sic *reſoluentia in ſcirrho hepatis uehementiora eſſe debent, propter ſitum uiſceris profundum.*
    - **In ſuperficie,** *reſoluentia leuiora eſſe oportet, tum quia affectam partem tangunt, tum quia ſi calidiora applicarentur, calore nimio plus materiæ attraherent, & dolorem excitarent.*

CAPVT XLVI. DE CAVSIS CVRATIVIS MORBI SIMPLICIS in Compositione secundùm NVMERVM.

Regreditvr denuo Gal. ad reliquos simplices morbos ipsius compositionis. In nvmero igitur uitium accidit, quoniam pars dissimilaris uel integra & tota, uel aliqua illius particula similaris, deficit aut excedit numero. Dicitur morbus in compositione, quoniam ratione compositionis tantùm accidit, quæ dissimilariũ propria est. Nam similaribus, quatenus similares sunt, compositio non conuenit, sed temperies tantùm et unitas. Similes autem ferè habent intẽtiones curatiuas morbis in numero, & morbus in uitiata magnitudine. Vtrobiq; enim est uel excessus uel defectus: quare etiam uel additio uel ablatio. Differunt tantùm, quòd in numero aucto interdum tota pars auferenda est: at in quantitate aucta, nunquam tota pars, sed id tantùm quod in parte redundat. Numerus igitur partis uel

- **Superabũdat.** Cognoscenda hîc sunt duo:
  - **Primò**, uitium ipsum, seu numerus superabundans. Nam pars uel est
    - **Secundùm** naturam sui substantia, at numero solo est præter naturam. Et uel pars addita est
      - **Integra** & tota, ut alterum caput.
      - **Non tota**, sed particula tantùm membri: ut sextus digitus.
    - **Præter** naturam tota substantia, non numero tantùm, quia nihil simile in corpore naturaliter se habente reperitur. Verbi gratia, calculus in uesica, uerrucæ, &c.
  - **Secũdò** curatio ipsa, quæ secundùm indicationes suas dirigenda est. Igitur
    - **Quid** sit agendum, morbus indicat, seu morbi etiam ratio formalis. Numerus superadditus est: itaque suo contrario tolletur, Ablatione uidelicet, Quæ prima est & potissima intentio curatiua in hoc morbo. Quomodo auferenda sit pars, ferro, igne, an caustico, docebit particulæ natura & dignitas. Vbi sit agendum, partis constructio ex anatome cognita.
    - **An fieri** possit, quantùm, & quãdo, diligẽter est animaduertendum. Nã uel pars addita auferri
      - **Potest**, sine uitæ periculo, & aliarum partium incommodo. Aut etsi partes reliquæ lædantur, tamen si uitæ periculum immineat, nisi auferatur, neglectis partibus uitæ indulgendum est. Sic calculus uesicæ, aufertur sectione, quamuis aliquando propter musculi [illegible] diuulsionem metuendum sit urinæ stillicidium.
      - **Nequit**, quia periculum instat uel
        - **Vitæ**, ut si caput geminum habeat. Hic ergo potius relinquendus est morbus in numero, quàm uitæ discrimen subeundum. Tamen quantum eius fieri potest, decus particulæ erit afferendum. Quæ tertia est intentio, secundùm Gal.
        - **Partis**, ut in suffusione. Nam si humorem effusum uelis educere, oculus corrumpetur. Quare cùm omnino auferri nequeat, saltem Transponatur, Quæ secũda est Intentio. Sic calculus ex renibus in uesicam deducitur.
- **Deficit**, siue integra pars, siue partis particula. Intẽtio prima est, Restituere id quod deficit. Hanc intentionem uel assequi
  - **Possumus**, quando non natura, sed casu aliquo particula deficit, eaq; similaris sit, hoc est, talis, quæ per generationem restitui possit. Quæ quidem secunda est intentio. Generatio autem fit uel per substantiam
    - **Similem**. Sic partes carnosæ possunt suo simili restitui, uerbi gratia, nasi extremitas. Et hæc prima est species conglutinationis.
    - **Dissimilem**. Sic partes spermaticæ restituuntur substãtia diuersi generis, quam porum siue callum uocant. Et hæc secunda est species conglutinationis.
  - **Nequimus**, præsertim si iam inde à primo ortu particula deficiat, aut certè si pars dissimilaris ea sit quæ ablata est. Cùm restitui nequeat per primam intentionem, saltem Decus particulæ afferatur. Quæ est tertia intentio.

CAPVT XLVII. DE CAVSIS CVRATIVIS MORBI SIMPLICIS in Compositione, ex uitio MAGNITVDINIS.

MAGNITVDO *uitiata easdem habet intentiones curatiuas, & eadem remedia, quæ etiam morbus in numero. Quod quidem enumeratione siue inductione singularum differentiarum morbi in numero Gal. ostendit. Nos idem ostendamus. Itaque magnitudo partis uel est*

- Aucta, *præter modum naturæ conuenientem. Prima & præcipua intentio est Ablatio: quæ eadem quoque erat in numero aucto. Secunda uerò & tertia intētio in numero aucto, uidelicet Transpositio, & Decoris conseruatio, hic locum non habet. Proinde rectè Gal. numeri curandi intentiones cum magnitudinis morbis conuenire asserit, eatenus tantùm, quatenus numerus auctus secundùm naturam est, hoc est, non tota substantia est præter naturam. Secunda enim & tertia intentio numero tantùm, qui tota substantia præter naturam est, competunt. Porrò Quantum sit auferendum, indicabit partis magnitudo naturalis. Quomodo, Quando, partis atque morbi natura.*
- Imminuta. *Reficienda est igitur per Generationem similis, aut certè dissimilis substantiæ. Cuius eadem est ratio, & idem medicamentorum usus, quæ etiam in numero erant deficiente.*

CAPVT XLVIII. DE CAVSIS CVRATIVIS MORBI SIMPLICIS in Compositione, ex SITV uitiato.

SITVS *uitium in parte accidit uel*

- Natura. *Quod quidem emendari nequit: quare neque Gal. illius mentionem facit.*
- Casu. *Semper autem uitium hoc spectatur in parte dissimilari, siue in pluribus partibus similaribus: quia alterum alteri præter naturam adiungitur membrum, ex causa aliqua quæ soluat unitatem: nisi enim solutio unitatis præcedat, situs uitiari nequit. Vnitatis porrò solutio, est duplex, Soluitur enim uel*
  - Contiguitas. *Sic luxantur ossa, contigua alioqui, & ex sede sua dimouentur, uiolenta tensione & impulsu. Luxatio ergo ratione soluti contigui inter morbos unitatis refertur: at quia situs est mutatus, inter morbos compositionis. Sic enim idem morbus sub diuersos ordines referri potest, diuerso respectu. At sub quamcunque speciem luxatio referatur, easdem habet intentiones curatiuas, quibus debitis instrumentis chirurgus satisfaciet. A Gal. breuitatis causa omittuntur. Prima est, ut reponantur ossa luxata, sic enim & situs restituetur, & solutio unietur. Secunda, ut conseruentur, ne recidant. Tertia, ut symptomata superuenientia mitigentur.*
  - Continuitas. *Sic quando rumpitur uel dilatatur membrana continens intestina, peritonæum uidelicet, prolabuntur intestina in scrotum, & fit morbus partim in situ, partim in unitate, Enterocœle. Nequit tamen solutio continui curari, nisi prius uitium in situ corrigatur. Proinde rectiùs ad morbum in situ quàm in unitate Ruptura refertur. Intentiones curatiuæ sunt istæ. Prima, ut in sedem suam intestinum reponatur, & sic situs emendatur. Secunda, ut conseruetur ne amplius recidat: quod quidem fiet consolidatione peritonæi, & sic solutio unitatis emendabitur. Si quæ oriantur interim symptomata, tertiæ intentionis erit ea remouere.*

CAPVT XLIX. DE CAVSIS EFFECTRICIBVS NEVTRIS, SIVE PRÆSERVANTIBVS. Et primùm de Præseruatione corporis NEVTRI DECIDENTIÆ.

CONSERVATIO *salubri corpori, Curatio insalubri, Præseruatio neutro conuenit. Itaque cùm conseruantes causas iamdudũ explicarit Gal. præterea causas effectrices sanitatis in corpore insalubri, hoc est, curatiuas, in præcedentibus absoluerit: consequens erat, ut effectrices sanitatis in corpore neutro, id est, præseruatiuas causas, iam aggrederetur. Præseruationis porrò eadem est ratio, quæ curationis et cõseruationis: nempe ut quemadmodum illic principia uitæ, calidum scilicet & humidum, in sui natura conseruabantur, aut certè ad eandem reducebantur: ita in præseruatione corporis neutri (quod utriusque extremi qualitatẽ suscipit) eadem principia præseruat medicus, ne ad ægritudinem labantur, ad quam procliuia esse uidet. Verùm quia præseruatio uarijs sumitur modis, & eodem nomine diuersæ actiones medicæ comprehenduntur, ideo ad clariorem rei cognitionem consideremus tum*

Quid nominis, *siue quot significationes habeat præseruationis uocabulũ. Vtuntur ergo authores medici præseruationis uocabulo interdum*

- **Impropriè,** *pro quauis actione medica, quæ præseruat corpus à grauiore quouis malo. Sic ergo in corpore*
  - **Salubri,** *præseruatio dicitur ipsa Conseruatio. Nam per conseruationem præseruatur, ne in neutralitatem aut morbum incidat.*
  - **Insalubri,** *præseruatio dicitur ipsa Curatio. Nam curando præseruatur, ne aut cum morbo amplius conflictetur, aut propter morbi uiolentiam mors subsequatur.*
- **Propriè,** *pro ea actione, quæ procliuitatem ad morbum in neutro corpore existentem remouet: de qua nos in præsentia. Quæ quidem præseruatio à curatione & conseruatione non differt, nisi secũdum magis et minus. Nam principia uitæ sunt cõseruanda, & ne deficiãt præseruãda. Sunt autem duo: uidelicet*
  - **Humidum,** *ueluti principiũ materiale, quod hepar subministrat. Et quia materia sine forma esse & intelligi nequit, idcirco nos quoq; cũ humido calorẽ iunctum comprehendimus. Vnde quãdocunque humidũ uitiatur, calor quoq;, qui in humido est, ueluti in subiecto & pabulo, læditur. Proinde morbus materialis dicitur, et (de qua nos nunc loquimur) neutralitas materialis, quoniã materiale principiũ uitæ, ipsum scilicet humidum, uel*
    - **Abundat,** *ut in corpore neutro Decidentiæ, quod à salubritate ad insalubritatem labitur siue decidit. De quo Gal. in hoc cap.* XLIX.
    - **Deficit.** *Defectus iste, cuius curationẽ seu præseruationem tradit, cap.* L. *accidit ex mutatione corporis uel*
      - **Naturali.** *Sic cùm animal sempiternum esse nequeat, per ætatis decursum sensim humidum absumitur & exiccatur à calore depascente: idcirco marasmus senilis nuncupatur. Cùm ergo totus humor innatus fuerit consumptus, succedit mors (ut uocant) naturalis. Actionem hanc caloris nemo potest omnino impedire (alioqui homo immortalis esset) sed aliquo tantùm tempore caloris uehementiæ obsistere, & corpus (non ne omnino humidum non resoluatur, sed ne tam citò resoluatur) præseruare. Præseruatio autẽ ista peculiari nomine* γεροντοκομικὴ *dicitur.*
      - **Præter naturam.** *Sic ab externis causis humidum resolui aut uitiari potest. Quæ tamen quando in corpus agunt, humores ferè internos, tam secũdos quàm primos, uitiant & corrumpũt. Sequitur ergo* ἀτροφία, *macies, &c. Hoc uidere est in ijs, qui aut chronico aut acuto aliquo morbo sunt confecti: humorum etenim corruptionem & absumptionem paßi sunt. Itaque post morbum, ne defectus humidi ulterius duret, præseruandi erunt refectione, & reficiendi præseruatione* ἀναληπτικὴ *dicta.*
  - **Calidum.** *Hoc quandocunq; uel excedit uel deficit, neutralitatẽ aut morbum affert immaterialem, ut uocant, quia sola qualitas calida afficitur, siue membrum hac qualitate præditum, non etiam humor aliquis. Potest enim calidum etiam absque humidi alteratione affici: humidum uerò solum absq; calidi alteratione nequit, quia immutato pabulo siue alimento caloris, etiam calorem, qui eo nutritur, alterari necesse est. Quòd si ergo calidum solum tanquam formale principiũ uitæ fuerit affectum, curabitur seu præseruabitur potiùs sola alteratione. Cuius tamen Gal. hic expreßè non meminit, quia sub humidi affectionibus eam comprehendit.*

Quid rei. *Vide in seq. signum* ⊞

⊞ **Quid rei**, *siue quid sit præseruatio, et quomodo fiat. Loquimur autẽ nunc de præseruatione propriè dicta in neutro corpore decidentiæ, de qua Gal. in hoc cap. ex professo agit: quamuis etiam reliquarum præseruationum methodum in uniuersum tradere uelle uideatur. Itaque supposito corpore neutro decidente, quod propter humorum abundantiam morbum minatur, ratio est ineunda, quomodo à morbo præseruari poßit. Ex humorũ abundãtia nascitur primũ neutralitas, deinde etiam morbus. Humores autem materiam habent in se fluidã, deinde etiam formam, quam qualitates cuiusque propriæ cõsequuntur. Quapropter in præseruatione corporis neutri decidentiæ ex humorum abundantia, consideranda erit tum*

- **Quantitas** *humoris, quæ humori materialiter conuenit. Quãtitati auctæ cõtraria est Euacuatio. Quam quidẽ Gal. explicat breuibus, tum*
  - **Generaliter.** *Omnis enim euacuatio in corpore fit uel à*
    - **Medico** *tantùm, qui manus opera uel*
      - **Venam** *secat.*
      - **Cucurbitulas** *applicat.*
      - **Hæmorrhoides** *aperit.*
    - **Natura**, *medico ministrãte, & naturæ motum obseruante. Sic ergo uacuatur in*
      - **Toto** *per*
        - **Sudores.**
        - **Transpirationem** *insensibilem.*
      - **Parte** *siue per partẽ: quãuis etiam totum ita uacuari possit. Per partem ergo uel*
        - **Superiorem**, *nempe per os: tum*
          - **Tussi.**
          - **Vomitu.**
          - **Sputo.**
        - **Inferiorem**, *per*
          - **Aluũ**, *tum*
            - **Purgatione.**
            - **Clysteribus.**
            - **Glandibus.**
          - **Vesicam**, *tum diureticis, tum clysmatibus.*
          - **Vterum**, *clysmatibus, pessis, &c.*
  - **Particulariter**, *quo genere euacuationis, & per quæ loca. Porrò quomodo et quãdo istis utendum sit, ex præcedẽtibus ubi de curatiõe egimus, peti debet. Eadẽ enim sunt instrumẽta curationis & præseruationis. Vbi quidẽ notandũ quòd euacuatio est eius quod repletum est, siue pars sit, siue totum. Repletio ergo ista tollitur uel*
    - **Immediatè**, *quia ex corpore educitur omnino, non tantùm transponitur. Sic enim euacuari propriè dicitur tum*
      - **Totum** *per phlebotomiam euacuatiuam, & purgationem eradicatiuam.*
      - **Pars**, *quæ indicat & modũ & locum euacuationis. Nam, uerbi gratia,*
        - **Cutis** *per*
          - **Sudorem.**
          - **Resolutionem** *insensibilem.*
          - **Cucurbitulas.**
        - **Venæ** *mesenterij per aluum, purgatione lenitiua.*
        - **Hepar** *per urinam.*
        - **Caput** *per nares & palatum.*
        - **Pectus** *per tußim.*
        - **Renes** *per urinam.*
    - **Mediatè**, *quia non ex corpore educitur, primò et per se, sed transponitur tantùm: quamuis facta transpositione, poßit deinde etiã ex corpore educi. Itaque Euacuatio propriè dici non potest: neq; totius est, sed partis tantùm. Motus porrò iste transpositionis incipit uel à loco*
      - **Affecto**, *siue afficiendo propediem, quia corpus neutrũ est, cui applicantur refrigerãtia & adstringentia, quæ humorem repellant. Dicitur Repulsio, seu euacuatio Repulsiua.*
      - **Non** *affecto, sed sano: quitũ parti affectæ uel sit*
        - **Oppositus**, *ad quem uiolenter retrahere uolumus humorẽ in parte affecta contentum Reuulsio dicitur.*
        - **Proximus**, *ad quem deducere cupimus humorẽ: diciturq; παροχέτευσις, Trãsmißio siue Deriuatio.*
- **Qualitas.** *Vide in seq. signum* †

- † **Qualitas.** Qualitatẽ hîc intelligimus generaliter quoduis accidens, quod sequitur naturam humoris, materiam scilicet & formam: siue ea prima sit qualitas, siue consequens primam: ut quòd humor sit calidus, frigidus, crassus, lentus, aquosus, mordax, putridus, uenenosus, &c. Qualitati huic præter naturam contraria est qualitas altera, quæ naturalis est, & per trãsmutationem inducitur, quam ALTERATIONEM nominant. Alteratio enim præseruat corpus neutrum, ne in morbum incidat: quemadmodum illa eadem corpus iam ægrum existens curat. Alteratio autem dicitur, quoniam mutatione qualitatis subiectum Alterum efficitur: sicut ecõtra mutatione substantiæ, efficitur Aliud. Iam uerò quia qualitates sunt diuersæ, aliæ uidelicet materiales, aliæ formales: idcirco Alteratio quoq; uarijs modis fit, & uaria sortitur nomina. Qualitas igitur in humoribus, ut & in cæteris mixtis naturalibus, accidens est, quod consequitur internam rei naturam. Sic ergo aliæ qualitates sunt
  - **Materiales**, quæ scilicet sequuntur dispositionẽ materiæ, factam à primarũ qualitatum formaliũ actione & impreßione: neque sunt unius generis omnes. Alteratio tamen siue transmutatio quæ secũdùm has qualitates fit, Concoctio propriè dicitur, quã obit naturalis calor agens, uel solus, uel certè excitatus à cõuenientibus medicamentis. Quorum sylua aliunde est petenda. Nobis constet, quia uariæ sunt qualitates materiales, ideo etiã concoctiones & transmutationes earundem uarias esse. Nam qualitatum harum aliæ sunt ueluti
    - **Habitus** quidam actu existentes in corpore mixto, ex uaria commixtione humidi & sicci per actionem calidi in materia mixtorum reperti. Cuius generis est, raritas, densitas: leuitas, grauitas: durities, mollities: lenitas, asperitas: craßitudo, tenuitas: uiscíditas, friabilitas: plenitudo, uacuitas, &c. Habitus isti in humoribus sunt qui actu morbũ uel sanitatem faciunt: quapropter medicus in eo totus esse debet, ut morbificos istos habitus remoueat per alterationem, siue concoctionem, hoc est, per contrarij habitus introductionem. Nam, uerbi gratia, humor
      - **Crassus**, attenuandus erit. Atque ut craßities à frigore pariter & à calore fieri potuit: ita attenuatio quoque ab alterutro fieri debet.
      - **Lentus**, incidentibus corrigetur, quæ disiiçere poßint partes tenaciter cohærentes, ut in quibus aër & aqua dominatur.
      - **Aquosus** & tenuis erit inerassandus, per ea quæ aqueum humidum exiccare, in uapores redigere, & per optimam commixtionem concoquere poßint.
      - **Tenax**, absterslone eget.
      - **Mordax**, acrimonia sua exuendus est, & diluendus.
      - **Putridus**, exiccatione & refrigeratione ad naturæ integritatem reducendus. Nam quæcunque putrescunt, alieno calore exagitata humidiora redduntur.
    - **Dispositiones**, seu potius meræ potentiæ & paßibiles affectus, in subiecto corpore ex primarum qualitatum mixtione impreßi. Vtpote, quòd corpus mixtum sit congelabile, liquabile, madefactibile, ruptile, fractile, flexile, tactui cedens, compreßile, scißile, formabile, dilatabile, quod teri poßit, elixabile, uaporabile, cremabile, inflãmabile, suffumigabile. Quædam ex istis potentijs in humoribus quoque considerantur: non quatenus humores actu uel morbum uel sanitatem faciunt, sed quatenus merito harum potentiarum pati possunt à causis alterantibus, tam salubribus quàm insalubribus, tam internis quàm externis. Itaque à medico nunc quoq; in præseruatione, quæ per alterationem fit, considerantur, ut sciat humoris, qui alterandus est per suum contrarium, naturam. Nam, uerbi gratia, humor cõgelabilis, qualis est pituita, in tempore anni frigido, in temperatura pituitosa, in consimili ætate, præseruatione eget per contraria, nimirum per liquefacientia & fundentia. Idem de cæteris quoque existimandum est. Vt enim habitus habitui, ita potentia potentiæ opponitur: quæ quidem potentia remediorum usum, atq; etiam tempus oportunum præscribere sæpe uidetur.
  - **Formales**, quia sequuntur formam mixti corporis, temperaturam scilicet siue harmoniam, quæ per mixtionem quatuor primorum corporum in singulis cõpositis, ad certos actus & usus, cum quadam æqualitate iusticiæ à formãte uirtute perficitur. Pro uaria ergo actione exuperantium elementorum, uariæ quoq; temperaturarum species oriuntur, & per consequens uariæ etiam qualitates formales. Quæ quidem in humoribus corrigi debent, ea immutatione, quæ κατ' ἐξοχὴν Alteratio dicitur: siue sint qualitates
    - **Occultæ** & uenenatæ. Quia alteratio per contrarium fit, ideo non nisi per ea, quæ occulta proprietate, siue tota sua substantia agunt, alterari poterit occulta qualitas: ut per alexiteria & alexipharmaca.
    - **Manifestæ**, tam simplices quàm compositæ, contrarijs tam simplicibus, quàm compositis expugnabuntur.

CAPVT L. DE CAVSIS PRÆSERVANTIBVS CORPVS NEVTRVM SENILE & CONVALESCENS.

QVOMODO corpus neutrum ex abundantia humidi præseruaretur, dictũ est. Quomodo autẽ neutrũ ex defectu humidi præseruetur, nũc dicemus. Neq; minus neutralitas ista naturalis dicetur, quàm prior illa: sicut etiam morbus ex defectu calidi non minus innaturalis dicitur, quàm ille qui ex abundantia caloris oritur. Quamuis usus obtinuerit, ut quando materia abundat tantùm, morbus dicatur materialis: cùm materia deficit, alteratio potius esse uideatur et siccitas quedã. Vt ut sit, cõstet nobis, ex defectu humidi solidarũ partium, neutralitatem hãc oriri, siue propter ætatis cursum, siue ex morbo aliquo. Nam cùm humidũ deficiat, sensim etiam calor propter inopiam alimenti seipsum cõficit: quare spiritus quoque, qui ex humoribus generantur, deficiũt: quibus succũbentibus, uirtus tota prosternitur. Itaque hîc duo sunt consideranda:

- **Primò**, neutralitas ista quæ præseruari debet, ne in morbum labatur, ad quem procliuis est, propter principia uitæ uitiata, siue natura per ætatem, siue ex morbo. Nam
  - **Calor** ipse per μαρασμὸν, propter defectum boni alimenti, seipsum uictoria cadmica conficit (quod in senibus manifestißimum est) multoq; magis, si externus quoque calor febrilis, aut frigus uehemens per σβέσιν eundem debilitet.
  - **Humiditas** solidiorum partium absumpta est, siue à calore non naturali et febrili, ut in morbis: siue à naturali, ut in senibus. Neque enim adest amplius ea sanguinis boni copia, ex qua promptè refici possint solidæ corporis partes.
- **Secundò**, præseruatio, quomodo et quibus instrumentis sit molienda. Gal. paucis declarat. Virtus est debilis, propter paucitatem sanguinis & spirituũ: itaque fortiora non admittit, sed leuia tãtùm & naturæ amica, in sex rebus non naturalibus, quæ et calorem fouere, & humidum poßint restaurare, optimũ sanguinem generãdo. Quare uictus ratio commoda institui debet, quam hîc breuiter perstringit, cùm in libris diexodicis ordinis cõpositiui omnia hæc latè sparsimq; declararit, ut hîc satis sit, in memoriam præcipua tantùm capita reuocasse. Itaque
  - **Cibus** primò sit humidus, concoctu faci..., mediocriter calefaciens: deinde etiam qui plurimum præstet alimenti. Neque enim à principio multitudine cibi sunt obruendi. Vinum ætate mediocre, purum, albũ uel subflauum, suauiter olens, saporis medij inter omnes qualitates.
  - **Aër**, quem inspirat, ad humiditatem aliquam declinet, non tamen eiusmodi, quæ putredini obnoxia sit.
  - **Somnus** humectat interius corpus, & primis confert cõcoctionibus. Vigiliæ humectationẽ cõcoctione tertia membris applicant.
  - **Motus** stato certoq; tempore, uehiculis, ambulationibus, consuetis operibus, calorem excitat, & fuligines expellit. Quies concoctioni aptior est.
  - **Inanitio** fiat per sudores, frictiones, balnea: aluus fluat, non tamen immoderatè, ne exiccet, sed tantùm pro primis fæcibus excernendis. Phlebotomia hîc locum non habet.
  - **Animi** accidentia uehementiora uitet, ne spiritus uel nimia agitatione resoluantur, uel immodica concentratione suffocentur.

EPILOGVS, TERTIA PARS ORDINIS RHETORICI IN HOC LIBRO.

TERTIA pars Artis medicinalis, secundum ordinis Rhetorici leges diuisæ, sequitur, Epilogus uidelicet: in quo librorum suorum catalogum recenset, quãuis ex professo proprium commentarium se scripturum ea de re polliceatur. Commodè autem hoc epilogi genere utitur, quoniã ordo Definitiuus breuis est, & conclusiones tantùm recitat, parum aut nihil explicat. Operæ preciũ igitur fuit, loco epilogi catalogum librorum subnectere, in quibus exactè omnia explicasset. Sic enim statim in proœmio huius libri multos alios libros se scripsisse asseruit, qui triplici ordini inseruirẽt, hoc est, ex quibus ars medica ordine uel definitiuo uel resolutiuo tradita explicari posset, & simul, si in classes distribuerentur, ordinis compositiui omnes ferè partes, aut certè præcipuæ, absoluerentur. Itaq; cùm locus præsens exigat, libros omnes Galeni in ordinem redigamus, ex quo modus & ordo Galeni scripta legendi patebit. Neque tamen ἀκρίβειαν hic spectare oportet, sed satis est si [illegible] aliquam habeamus. Nam cùm à Gal. sparsim sint scripti, sæpe repetit ea quæ omitti potuissent, sæpe confundit ea quæ distinguenda fuissent, si ordinis compositiui capita obseruasset. Satis ergo nobis erit, crassa minerua Galeni libros distinguere: magis enim studiosorum utilitate, quàm momi reprehensione mouemur. Itaque inter libros Galeni, qui circumferuntur, alij sunt

- **Legitimi**, quod & τάξις & λέξις indicat, præter reliquas cõiecturas. Horum rursus alij sunt scripti
  - **Extra** artem, quamuis (ut omnes artes inter se cohærent) Medico usui esse possint, Nẽpe
    - De Constitutione omnium artiũ, lib. II. quibus tertius, De constitutione artis medicæ, annectitur.
    - De optimo docendi genere.
    - Exhortatio ad artium liberalium studia.
    - De demonstratione: quibus caremus.
    - De placitis Hippocratis & Platonis, lib. VIII. Ex quibus multa medico utilia depromuntur.
  - **Ad artem** medicam. Quorum rursus alij
    - **Explicant** scripta Hippocratis: Scripsit ergo
      - In De natura humana, lib. II.
      - In De ratione uictus salubris.
      - In Prognostica, lib. III.
      - In Prorrhetica, lib. III.
      - In De ratione uictus acutorũ, lib. IIII.
      - In Aphorismorum lib. VII.
      - Contra ea quæ in Hippocratis aphorismos obiecerat Iulianus.
      - Contra Lycum, quòd nil delinquatur ab Hip. in aphorismo, Qui crescunt, plurimum habent innati calidi.
      - In Epidemiorum primum & tertium, lib. VI.
      - In Epidemiorum sextum, libros VI.
      - In De medici officina, lib. III.
      - In De articulis, lib. III.
      - In De fracturis, lib. III.
    - **Docent** artem medicam, & uel
      - Totam, ordine *
        - Definitiuo. Ars medicinalis.
        - Resolutiuo. De cõstitutione artis.
      - Partem. vide in seq signum *
- **Spurij**, & falsò adscripti Galeno. Dignoscũtur autem partim ex ipso charactere dicendi, partim uerò ex ordine: taceo nunc rem ipsam quæ tractatur. Oportet enim (ut in libro De optima secta testatur) medicinæ præcepta, quemadmodum cæterarum artium, esse uera, utilia, & consentientia. Verùm de his nihil in præsentia.

* De singulis partibus totius artis Gal. libros cōscripsit, non ordine, sed prout uel amicorum preces, uel sophistarū importunitas, uel etiam otij ratio admonebat atq; cogebat. Quamuis autem à Gal. ordine non sint scripti, possunt tamen secundùm ordinis compositiui normam disponi. Porrò quod in Aristotelis Physiologia obseruauimus, (nempe quòd primùm generaliter & in uniuersum capita tractat: deinde si quæ diligentiorem postulant tractationem, ut motus, sensus & sensile, iuuentus & senectus, &c. ea seorsim explicat:) idē apertè in libris Galeni deprehēdi potest. Alij enim

- Generalia capita artis Medicæ secundùm ordinis compositiui seriē generaliter continent. Quoniam agunt uel de
  - Principijs siue causis, nempe de
    - Materia subiecta, siue de corpore humano. Cuius quidē tractat
      - Materiā tum
        - Remotam:
          - De elementis, lib. II.
          - De semine.
        - Proximam. Sunt
          - Humores.
          - Membra. Lib. I X. De anatomicis administrationibus.
      - Formam. De temperamentis, lib. III.
      - Efficientem. De formatione fœtus.
      - Finem. De usu partium, lib. XVII.
    - Forma, hoc est, affectiones corporis tum naturales, tum præternaturā. Sic ergo de duobus extremis (inter quas neutralitas media est) agit, nimirum de
      - Salubritate. In libris
        - De optima corporis constitutione.
        - De bono corporis habitu.
      - Insalubritate, siue morbo. Explicat morborum
        - Essentiam, in lib. VI. De locis affectis.
        - Causas & differentias, in De morborum causis & differentijs, lib. II.
        - Symptomata: quæ dupliciter cōsiderantur, tum quatenus
          - Accidūt. De sympt. caus. & diff. lib. IIII.
          - Indicant:
            - De diebus decretorijs, lib. III.
            - De crisibus, libri III.
    - Efficiente. Sub quo cōprehenditur tum
      - Agens, tum
        - Primum, Natura. De facultatibus naturalibus, libri III.
        - Secūdum, & minister, Medicus. Quòd optimus medicus sit quoq; philosophus.
      - Instrumentum. Materiam remediorum tractat tum
        - Simplicem. De simplicium med. facultatibus, lib. XI.
        - Compositam:
          - De compositione medicamentorum secundùm genera, lib. VII.
          - De compositione medic. secundùm loca, lib. X.
    - Fine, conseruatione uidelicet sanitatis, & profligatione seu curatione morbi. Qui finis cùm causas reliquas præsupponat, & in actione uersetur, ideo in declaratione Effectuum Medicinæ siue principiatorum exponendus erit.
  - Iis quæ à principijs oriuntur, si simul componantur. Iungitur enim materiæ forma, insurgit efficiens ut operetur. Itaque uel
    - Conseruat. Ὑγιεινή. De sanitate tuenda, lib. VI.
    - Curat. Θεραπευτική:
      - De methodo medendi, libri XIIII.
      - De arte curatiua ad Glauconem, lib. II.
- Particularia. Vide in seq. signum ✠

* Particularia capita ordinis compositiui exactiùs & distinctiùs explicant: qui & ipsi iuxta ordinis compositiui seriem disponi, & uice commentariorũ adhiberi possunt. Quandoquidem hæc uia in docendo sequenda est (in rebus præsertim difficilibus) ut primùm generalis tractatio instituatur, deinde particularis & exactior. Videtur autem compendium horum Gal. in lib. De Partibus artis medicæ, proponere uoluisse. Explicatio ergo particularis uel est

- Principiorum, hoc est
  - Materiæ, seu subiecti corporis. Quod consideratur tum ratione
    - Materiæ uel
      - Remotæ.
      - Proximæ, tum
        - Humorum. An sanguis in arterijs contineatur.
        - Membrorum. Sic ergo uarij libri:
          - De sectione mortuorum.
          - De sectione uiuorum.
          - De discordia sectionis, lib. II.
          - De sectione secundùm Hipp.
          - De instrumẽto olfactus.
          - De uteri dissectione.
          - De dissectione uenarum & arteriarum.
          - De dissectione neruorum.
          - De ossibus, ad tyrones.
    - Formæ. Sic
      - De inæquali intemperie.
      - Quòd animi mores sequantur temperaturam corporis.
    - Efficientis. De septimestri partu.
    - Finis, hoc est, actionis partium tam similarium quàm organicarum. Libri uarij:
      - De caussis respirationis.
      - De usu respirationis.
      - De uoce. Quo caremus.
      - De pectoris & pulmonis motu, libri III. Quibus caremus.
      - De differentijs pulsuum, lib. IIII.
      - De usu pulsuum, lib. III.
      - De usu pulsuum, liber unus.
      - De caussis pulsuum, lib. IIII.
      - De musculorum motu, lib. II.
  - Formæ. Vide in seq. signum †
  - Efficientis, tum
    - Agentis, tum
      - Naturæ. De naturalium facultatum substantia.
      - Medici:
        - De sectis, ad tyrones.
        - De optima secta, ad Thrasybulum.
        - De medicinali experientia. Quo caremus.
        - De subfiguratione empirica.
    - Instrumenti. Libri plurimi:
      - De alimentorum facultatibus, lib. III.
      - De cibis boni & mali succi. De ptisana.
      - De attenuante uictus ratione.
      - De exercitio paruæ pilæ. De consuetudine.
      - De purgantium medicamentorum facultate.
      - Quos, quibus, & quando purgare oporteat.
      - De remedijs paratu facilibus.
      - De antidotis, lib. II.
      - De theriaca, ad Pisonem.
      - De theriaca, ad Pamphilianum.
      - De curandi ratione per sanguinis mißionem.
      - De uenæ sectione, ad Erasistratum.
      - De uenæ sectione, ad Erasistratæos Romæ degentes.
      - De hirudinibus, cucurbitis, &c.
      - De fascijs & laqueis.
  - Finis. De quo in Actionibus seu Effectibus.
- Ortorum à principijs. Actio medica tum
  - Ὑγιεινή: Num ars tuendi sanitatem ad medicum an ad gymnastã pertineat.
  - Θεραπευτική:
    - De cognoscendis curandisq; animi morbis.
    - De cuiusq; animi peccatorum agnitione & medela.

† Formæ, *sub qua cõprehendimus*
- Caussas. *Sic*
  - De caussis *procatarcticis.*
  - De plenitudine.
  - De atra bile.
- Morbos, *tum propriè dictos, tum symptomata quæ curam ad se trahunt, & à morbis internis ueluti à caussis dependent. Libri sunt uarij:*
  - De differentijs *febrium lib. II.*
  - De typis.
  - Contra *eos qui de typis scripserunt.*
  - De tumoribus *præter naturam.*
  - De comate.
  - Consilium *pro puero epileptico.*
  - De tremore, *palpitatione, cõuulsione, & rigore.*
  - De difficultate *respirandi.*
  - De tabe.
  - De morbi *temporibus.*
  - De totius *morbi temporibus.*
- Symptomata, *tum quatenus*
  - Accidunt. *Sic quædam in morborum catalogo recensuimus.*
  - Indicant, *siue prognostica, siue anamnistica. Libri uarij:*
    - De præcognitione.
    - De prænotione *ex pulsibus, lib. IIII.*
    - De præsagio *ex insomnijs.*
    - De cuiuscunque *animi peccatorum agnitione & medela.*
    - De cognoscendis *curandisq; animi morbis.*
    - Quomodo *morbũ simulãtes sint deprehẽdẽdi.*
    - De pulsibus, *ad tyrones.*
    - De dignotione *pulsuum, lib. IIII.*
    - Ars *uel Compendium pulsuum. Quod promittit hoc in loco se scripturum.*

Basileæ, apud Iacobum Parcum, expensis Ioannis Oporini,
anno Domini M. D. LXI.